COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XIII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Salvium.

Histoi
née
thé
An
mie
MD
3 A

Histor
enti

In h
ral
1.
lectum
2.
per co
vum q
ditur,
tuor in
signis,
impleu
3.
stram

I.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences. Année MDCCLIX. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Académie. A Paris de l'imprimerie Royale. MDCCLXV. 4. Hiſt. 1 Alph. 8½ pl. Mém. 3 Alph. 3 pl. 26 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria et Commentarii regiae Academiae Scientiarum Pariſinae, ad annum MDCCLIX.

In hoc Volumine *obſeruationes* ad *phyſicam generalem* pertinentes reperiuntur ſex.

1. Fimum caballinum, in foſſa profundiore col- p. 34.
lectum, ſponte ſua incenſum eſt.

2. Nocte aeſtiua viſae ſunt duae trabes igneae, p. 35.
per coelum ſerenum volantes, quarum altera, in rivum quendam delapſa, fragorem effecit, qualis auditur, quum tonat, altera ſtabulum incendit, et quatuor in eo equos vita priuauit ſine vllis aduſtionis ſignis, forti autem odore ſulphuris totum ſtabulum impleuit.

3. Quum aliquis terram, in capſa ante fene- p. 36.
ſtram alendarum plantarum cauſſa poſitam, veſperi

irrigaret, vidit ſuperficiem aquae effuſae ſcintillis quaſi conſperſam, quae tam diu conſpicuae erant, donec terra omnem aquam imbiberat. Cuius phaenomeni cauſſa, vt paullo poſt compertum eſt, fuerunt experimenta electrica, in proxime inferiori aedium contignatione eodem tempore inſtituta.

p. 37. 4. Vpſaliae quarto februarii die rarius illud luminis borealis genus, quod Cl. MAIRAN *completum* dixit, obſeruatum eſt a Cl. BERGMANNO, et hic deſcribitur.

p. 38. 5. Cl. DE SAUVAGES rationem reperiit, aliquatenus praeſagiendi pluuias eas, quas barometrum non praedicit, quia non pendent a mutato pondere atmoſphaerico, ſed ab imminuto calore aeris in aliquo loco, praeſertim humido, quo fit, vt vapores ibi eleuati colligantur in guttas, et recidant in terram, ſi aer ſit tranquillus. Nam ſi in aedificii, horto iuncti, atrio, lapidibus quadratis ſtrato, excepta adſpiciatur penumbra corporis, in aliqua diſtantia poſiti, coelo ſereno, atque in ea conſpiciatur aliquis motus, qualis eſt motus vmbrae, quam fumus aſcendens proiicit: ſcias, tunc multos electari a terra vapores, qui poſtridie plerumque generaturi ſint pluuiam, niſi ventus exortus eos abigat.

6. Monſtrum piſcis marini deſcribitur.

Obſeruationes anatomicas hiſtoria huius anni quinque tradit.

p. 82. 1) In cuniculo repertus eſt foetus monſtroſus, coalitus e duobus foetibus, quorum partes infra ſternum ſeparatae erant, reliquae autem, ſeu ſuperiores, mira confuſione vnitae inter ſe, ita, vt vnicum caput, vix difforme, duplici illi corpori impoſitum eſſet, et vnus oeſophagus vnusque ventriculus tantum adeſſet. Duae quidem tracheae aderant, ſed altera pertinebat ad pulmonem, cuius lobus maior deficie-

deficiebat. Ventriculo duplex canalis inteſtinorum erat annexus. Hepar ſimplex erat.

2) In agno locum, quem veſica occupare ſolet, ſacculus occupauit membranaceus bifurcatus, cuius cauitates inferius in vnam coibant. Plenus fuit liquoris limpidi acidique, neque tamen vlla apertura in eo animaduerti potuit. Cum ſolis teſticulis vtrinque per ligamentum quoddam connexus fuit. Vaſa deferentia, ſolito magis dilatata, ad mediam partem pertingebant, vbi formato arcu, verſus inferiora cauo, deſcendebant, et ſub ſacculo illo coniuncta in alium deſinebant facculum cylindricum, ſub quo erat pars carnoſa, quae veſica eſſe videbatur, ſed corrugata. p. 84.

3) In Corſica ſeptendecim milites de planta Oenanthe ſucco croceo viroſo dicta, in iuſculo comederant. Duo huius plantae veneno perierunt, ante quam illis ſuccurri poterat; reliqui ſeruati ſunt per emetica, euacuantia, et cardiaca remedia; maxime autem in hac curatione oxymellis ſquillitici virtus laudata eſt *). p. 84.

4) Calculus e veſica feminae extractus eſt, ex quo eminebat cuſpis acus eburneae, $3\frac{2}{3}$ pollices longae; pars eminens longa erat ſesqui pollicem, et reliqua acus pars obtuſior nucleum calculi formauerat. Mulier quaeſita, quomodo haec acus in veſicam peruenerit, reſpondit, ſe recordari deglutitam a ſe ante ſedecim annos ſimilem acum, qua cum ſibi haerentem in faucibus ſpinam piſcis frater expedire tentaſſet, quum ſeptem annos nata eſſet; ſed incommodum ſe inde ſenſiſſe nullum; attamen anno aetatis decimo quarto fluxu ſanguinis ſe laboraſſe per integrum annum. p. 87.

5) Cl. IENTY, medicus Londinenſis, in ſectione cadaueris viri 35 annos nati, et quadam maraſmi ſpecie p. 89.

*) Vid. hor. Commentar. Vol. XI. p. 317.

ſpecie confecti, miram omnium fere partium ad ſe mutuo adhaeſionem animaduertit. Epiploon inteſtinis, et haec ſibi inuicem tam firmiter adhaerebant, vt ſeparari ſine disruptione non poſſent. Meſenterium vna quaſi maſſa erat, quae explicari non poterat; glandulae tamen eius obſtructae non videbantur. Hepar adhaerebat diaphragmati et partibus vicinis, pulmonum partes poſticae et laterales coſtis, pericardium cordi. Attamen membranae, quae viſcera inuoluunt, facillime ab iis ſeparari poterant. Superficies inteſtinorum ſicca erat, et multa oſtendebat tubercula, quae Cl. IENTY pro orificiis vaſorum exhalantium obſtructis habuit; quemadmodum etiam iſtiusmodi vaſorum extremitates fuiſſe exiſtimauit poros admodum patulos, quos in ſuperficie interna pericardii et externa cordis vidit. In cerebro, qua parte cerebellum attingit, reperit paululum puris ſubuiridis, in quo per microſcopium conſpexiſſe animalcula credidit. Morbi genus, quod haec mala peperit, comperire quidem non potuit, attamen coniectando iudicauit, cauſſam fuiſſe nimiam partium viſcidarum in ſanguine copiam, a quibus obſtructa fuerint vaſa exhalantia interna, vt humidum illud ſuppeditare non potuerint, quod ad impediendam adhaeſionem partium requiritur. Contrarium etiam huius rei, vaſorum puta abſorbentium obſtructionem, ſe aliquando obſeruaſſe dixit, in viro, qui continuo granorum ſinapis et acidorum vſu anaſarcam ſibi contraxiſſet; muſculos enim huius tam pallidos fuiſſe, vt a tendinibus vix poſſent diſtingui, et ſanguinem omnium fere particularum rubrarum expertem.

In Claſſe *chemica* duas legimus relationes:

p. 100. 1. Comes DE LAURAGUAIS aetherem parauit ex aceto et ſpiritu vini, hos liquores, ſimulac partes

partes eorum aequales commiſcuit, igni exponens, vt ebullirent. Hic aether *acetoſus* pleraque cum aethere vitriolico et cum nitroſo habet communia. Attamen facilius ſe aquae miſceri patitur, aethere vitriolico, atque hoc etiam ſpecifice grauior eſt, et facile cum ſolutione concentrata cupri, cum acido nitri parata, agitatione vaſis commiſcetur, quod aetheri vitriolico non accidit.

2. Quum puluis et pilulae antiuenereae, qui- p. 102.
bus medicus quidam, nomine KEYSER, in noſocomio militari Ducis DE BIRON hactenus erat vſus, traduci coepiſſent, quaſi mercurium ſublimatum corroſiuum continerent: Academia, rogatu Ducis, haec medicamenta accurate examinari iuſſit. Deſcribitur hic via et ratio, qua hoc fecerunt, quibus id negotii erat demandatum; quam nos mittimus, ſatis habentes, indicaſſe ſententiam a iudicibus latam, p. 106.
quae huc redit: in his medicamentis neque mercurium dulcem, neque ſublimatum corroſiuum, neque turbith minerale, nec ſalem nitroſum mercurialem ineſſe, ſed ſalem genitum coniunctione mercurii cum acido vegetabili (veriſimiliter cum aceto), cui admixtum ſit paullulum materiae, quae ferri naturam habeat, et materiae cuidam craſſae, acido vegetabili forſitan tribuendae, iuncta ſit.

Ex Claſſe *botanica* enodanda nobis ſunt experi- p. 116.
menta, quae Cl. TILLET ſuper carie frumenti inſtituit prope Lutetiam in agro ſicco et arenoſo. Hunc primis martii menſis diebus arandum, et fimo vaccino abunde ſtercorandum curauerat, et deinde diuiſerat in 14 areas ſimiles et aequales, quarum ſingulae quinque liris diſtinctae, binae autem proximae ſemita ſeiunctae erant. Omnes has areas granis eiusdem frumenti conferendas curauit, ita vt grana in vnaquaque ſingula pedem vnum a ſe inuicem

 diſtarent.

distarent. In quinque harum arearum ferebantur grana consperſa puluere nigro frumenti carioſi; in reliquarum quibusdam grana pura, abluta liximio parumper calefacto cinerum vulgarium, in quo tantum calcis viuae intinctum fuerat, vt lixiuium lacteum colorem duxiſſet; in ceteris grana pura non praeparata. Areae, granis infectis conſitae, ſingulae erant med ae inter duas areas, quibus grana non vitiata mandata erant. In vna vero aliqua area quinque ſeries erant granorum alternatim ſanorum et vitiatorum. Euentus horum experimentorum idem fuit, atque illorum, quae iam antea in terris melioribus capta erant. Scilicet grana, puluere nigro carioſi frumenti conſperſa, fere cuncta genuerunt culmos morbidos et ſpicas carioſas; pura contra laetas dederunt ſegetes, neque communicatus eſt cum illis ſpicarum infectarum, prope et inter quas creuerant, morbus *).

Commentarii in hoc Volumine habentur ſeptem et viginti.

1. Cl. DE LA LANDE *de cometa anni 1682, qui anno 1759 reuertit, et elementis orbitae eius pro hac nouiſſima eius apparitione definitis.*

p. 41. 2. Cl. GUETTARD *Obſeruationes meditae. Prima* harum obſeruationum eſt de effectu ſingulari et prope lethali poſitionis horizontalis. Auctor in ſe ipſo illum eſt expertus. Quum enim aliquando ante focum in ſella, brachiis inſtructa, per ſemihoram, vt ſueuerat, eſſet meridiatus, reclinato corpore, ac cruribus in ſitum horizontalem compoſitis et extenſis, atque expergefactus ſurgere vellet; dolorem exquiſitum ſenſit circa os ſacrum, quod ſellae

*) Vid. Comment. hor. Vol. X. p. 634.

ſellae nudae innixum erat, quia puluinus mobilis verſus poſteriora ſellae receſſerat. Quo dolore impeditus, quo minus ſeſe in nates reponere, et erigere poſſet, in latus ſe flexit, et brachia ſuper alterum ſellae brachium proiecit. Hoc autem motu intenſum dolorem frigus ſecutum eſt, per totum corpus manans; extremitates inferiores immobiles redditae ſunt, et brachia ingens debilitas inuaſit. In hoc ſitu iacentem aduenientes aliquis domeſticorum aegre potuit erigere, et ad lectum pertrahere, in quem vtcunque proiectus, ſenſit frigus incredibili ratione intendi, reſpirationem difficulter, nec niſi per ſingultus, fieri, debilitatem brachiorum augeri, et brachia vsque ad apices digitorum, quaſi acubus, pungi. Pluribus nunc obtegebatur ſtragulis, pedibus ferrum calidum ſubiiciebatur, pectus, manus, vultus linteis calefactis inuoluebantur: quo facto, poſt ſesqui horam recaluit tandem, ſingultus et punctiurae ceſſarunt, ac cruribus brachiisque mobilitas reddita eſt; ſenſit tamen adhuc modicum circa renes dolorem, atque aegre pedibus incedere potuit; et corporis aliqua debilitas ipſi per plures dies ſuperfuit. Cauſſam horum ſymptomatum Auctor in extenſione violenta muſculorum, qui artus inferiores regunt, atque in nata inde preſſione vel tractione neruorum, in hos muſculos inſertorum, oſtendit. Denique quaeſtionem mouet, an in hoc affectu ſanguinis miſſione melius ſibi conſultum fuiſſet? Ad quam ſic reſpondet, vt, licet in frigore eam ſuadendam fuiſſe negat, propterea quod ea circulum ſanguinis adhuc lentiorem redditura fuiſſet, tamen haud diſſimulet, reſtituto naturali calore, venam in brachio vel pede incidi, prudentiae fuiſſe, vt ſi qua forte obſtructio in aliqua parte, retardato ſanguinis motu, effecta fuiſſet, ea mature reſolueretur; nam, exempli gratia, ob intimam medullae ſpinalis ac cerebri

p. 45.

p. 49.

rebri communionem, verendum omnino fuiſſe, ne in ſubtilibus cerebri vaſis ſanguinis congeſtio facta, et depoſitum quoddam ibi formatum fuerit.

p. 49. In *ſecunda* obſeruatione exponitur de tumore cyſtico hepatis mortifero. Puella ab incunabulis tumorem in hypochondriis dextris habuerat. Hic ſubito disparuit, quum anno aetatis octauo ab homine currente humi proſtrata eſſet; et ſtatim coepit de doloribus abdominis conqueri, quod intumuerat, et valde tenſum erat; ſaepe etiam per aluum eiecit materias ſubuirides et albidas, in copioſo liquore ſeroſo natantes. Auctor incertus, vtrum in hepate, an in inteſtino colo tumor ille fuerit, violentiam tantum ſymptomatum compeſcere ſtuduit, et, quia audiuerat, clyſmata emollientia puellae iam fuiſſe cum bono effectu adminiſtrata, repeti ea iuſſit, ventrique fomentum adhiberi, ac potionis antiſpaſmodicae portiones aegrae ſubinde propinari. His remediis leuamentum quidem doloris effectum eſt, ſed ad breue tempus; nocte enim proxima dolores reuerterunt, et conuulſiui euaſerunt, ac vitam puellae finierunt. Sectio deinde cadaueris docuit, tumorem in hepate fuiſſe. Erat enim in parte inferiore conuexa maioris lobi cauitas, quatuor circiter pollices longa, continens cyſtidem, ſed fiſſam, et prorſus vacuam. Inteſtina erant diſtenta, et alba, nihilque continebant praeter aerem. Neque in toto abdomine quidquam reperiebatur illius materiae, cuius cyſticus ille tumor plenus antea fuerat. Hinc Vir Cl. autumat, illam materiam, rupta tunica tumoris, per poros inteſtinorum in canalem inteſtinorum penetraſſe, et ipſa irritando e glandulis expreſſiſſe liquorem iſtum ſeroſum, in quo materia ſubuiridis
p. 54. natans obſeruata erat. Inſuper monet, vitam puellae ſeruari potuiſſe, ſi tumor ille, antequam disparuit,

ruit, paracenteſi apertus fuiſſet, quam in hoc caſu ſecure adminiſtrari potuiſſe demonſtrat.

In *tertia obſeruatione* agitur de gangraena lienis, p. 55.
quae omnem fere motum arteriarum inhibuit. Vir quidam, qui ſe ambulatione cita et venatione exercere ſueuerat, et aliquoties de inflatione lienis queſtus erat, domum reuertens e venatione correptus eſt febricula continua, cuius etiam paroxyſmi modici fuerunt, nec cum aliquo dolore, niſi leui quodam in regione lienis, coniuncti. Qua febre per iteratam ſanguinis miſſionem, clyſmata purgantia, et accuratam diaetam diſcuſſa, aegroto datum eſt purgans ex caſſia et manna remedium, quod quidem effectu non caruit: ſed poſt eiusdem diei meridiem totum corpus frigore conſtrictum eſt, quale eſt mortui hominis, et ſudore gelido viſcidoque obductum. Auctor ab aegro vocatus in hoc eum ſtatu reperit, quamquam cetera ſano homini primo adſpectu ſimillimum. Pulſum arteriarum tacturus, nullibi aliquem ſentire potuit, praeterquam in arteria temporali, eumque perquam debilem. Iuſſit tunc, aegrum linteis calefactis fricari ac foueri, et ipſi potionem cardiacam exhiberi. Sed vbi, poſt p. 57.
aliquot horas rediens, virum in eodem ſtatu rurſus reperit, ſuſpicari coepit gangraenam in aliqua parte abdominis, a ſtagnante ibi ſanguine effectam; hinc, remota iſta potione, aegrum bibere iuſſit infuſum corticis Chinae, et venam in brachio ſecari. Poſtridie mane, quum nunc aliquem pulſum in brachio ſentire poſſet, repeti iuſſit venae ſectionem; poſt meridiem porro, fortiori reddito pulſu, et aliquali corporis calore percepto, iterum ſanguinem mitti iuſſit. Sequenti die mane, quum pulſum bene fieri, neque caput aegri affectum eſſe videret, quartam ſanguinis miſſionem ſuaſit: ſed, eam diſſuadente alio

medico

medico ſeniore, cardiaca potio electa eſt. Poſt meridiem autem huius diei reſpiratio aegri fortis et impedita, ac cum vndulatione muſculorum abdo-
p. 58. minis coniuncta, deprehenſa eſt. Quod ſymptoma quum in morbis ex inflammatione ſignum eſſe inſtantis mortis Auctor experientia eſſet edoctus, aegrum reliquit; qui paullo poſt animam reddidit. Sectio cadaueris veram fuiſſe docuit Auctoris ſententiam, falſamque alterius medici, qui ſedem ma-
p. 59. li in cerebro eſſe contenderat. Cerebrum enim et viſcera thoracis bene ſe habuerunt; in abdomine ſolus lien corruptus, et penitus putrefactus comparuit. Cauſſam ergo iſtius morbi ſic aeſtimat Auctor, vt ſtatuat, eum non tam a deſtructione ſubſtantiae lienis effectum fuiſſe, quippe quam haud raro induratam vel deletam cernere ſine tanto effectu liceat, quam potius a ſanguinis, cuius magna copia ad hoc viſcus aduehitur, corruptione, quam viſceris gangraena ipſi attulerit; hunc enim ſanguinem, reliquo ſanguini deinceps admixtum, omnem gangraenoſum reddidiſſe, et per huius in vaſa actionem circulum ſanguinis adeo retardatum, tandemque oppreſſum fuiſ-
p. 60. ſe. Ceterum gangraenae in liene iſtius viri cauſſam ex eius habitu ac vitae genere repetit. Erat enim, inquit, robuſtus et obeſus, nimiumque vacabat exercitatione corporis, qua non potuit non valde agitari et rarefieri ſanguis; quo factum eſt, vt in liene ſtagnaret, et mora ibi vitium contraheret.
p. 61. Qua animaduerſione Auctor etiam vtitur ad explicanda morbi ſymptomata, ſuumque in medendo conſilium defendendum.

3. *De longitudine maris ope lunae obſeruanda* commentatur DE LA CAILLE. Sequuntur

4. Cl. BRISSON *Obſeruationes de genere quodam cochleae terreſtris, cuius teſta ſine incommodo animalis*

fracta

fracta reperitur *). Haec cochlea eſt ex eo genere, quod *fuſum longum* appellant, et in agro Montis peſſulani degit; vnde quaedam ad REAUMURIUM miſſae fuerant, quae oua pepererunt. Ex his nata animalcula Cl. Auctor vsque ad poſtremum incrementi terminum obſeruauit diligenter, in vaſis vitreis cuſtodita, vt cognoſceret atque ad REAUMURIUM referret, qui fiat, vt teſtae harum cochlearum ſemper mutilatae reperiantur, licet animal nihil detrimenti inde pati videatur. Nam ad duorum pollicum longitudinem peruenirent, et tredecim ſpiras haberet, ſi nullam faceret iacturam: ſed adultum ſemper reperitur carens poſtrema teſtae parte, et quatuor tantum ſpiras cum dimidia habens, quae vnius tantum pollicis cum ſexta parte longitudinem efficiunt. Vidit ergo, hanc cochleam ex ouo prodire cum tribus ſpiris integris, quibus poſt aliquot dies accreſcit quarta; ad hanc intra duos circiter menſes quinque nouae anterius accedunt. Dum nona ſpira formatur, animal paulatim extremitatem corporis retrahit verſus caput, et tres ſpiras poſtremas vacuas relinquit, quas ab anticis ſeparat quodam diaphragmate, quod ſibi format. Quo facto hae poſticae ſpirae, vtpote animali inutiles, rumpuntur, et paullo poſt ad aſperitates terrae alliſae cadunt. Poſtea noua ſpira accreſcit; qua formata, duae poſtremae cum dimidia eodem modo auelluntur, vt quatuor tantum cum dimidia ſuperſint. Porro teſta iterum vna ſpira augetur anterius, ſed poſtrema ſpira ſola perit. Deinceps, poſtquam per tres menſes hibernos in terra delituerunt, idem augmentum et decrementum teſta intra menſem aprilis patitur; quod ipſis rurſus, ac poſtremum, accidit menſe iunio. Hic enim eſt vltimus incrementi terminus, quo transgreſſo, amplius nec truncatur teſta, p. 99.

*) Lectae d. 7. Dec. 1759.

teſta, neque extenditur in longum, remanentibus
p. 110. quatuor ſpiris cum dimidia. Quibus expoſitis, Auctor carbone notat aliquas propoſitiones, quas I. TH. KLEINIUM in *Lucubratiuncula de formatione, cremento, et coloribus teſtarum*, non conſulta experientia ſcripſiſſe affirmat.

5. *De cometa anni* 1759 *commentatur* CLAIRAUT.

p. 121. 6. *De charactere plantarum ſpecifico diſſerit* Cl. GUETTARD *). In hac commentatione Vir Cl. ſibi potiſſimum propoſuit, oſtendere, quod characteres ſpecificos plantarum raro petere liceat ab earum glandulis et filamentis, atque hinc pendentibus quarundam plantae partium qualitatibus, ſecundum quas iſtae villoſae, viſcoſae, aſperae, laeues, ſpinoſae dicuntur. Rationem hanc affert, quod plerumque glandulae ſimiles eorumque vaſa excretoria
p. 128. ſimilia omnibus ſpeciebus eiusdem generis communia ſint, ſimul autem vel in vno eodemque indiuiduo partim euidentia, partim copia diuerſo tempore differant. Hinc enim conſequitur, vt characterem ſpecificum a glandulis earumque filamentis petendo, ſaepe in characterem incidere poſſimus, qui aut ineptus ſit, quum generi toti competat, aut fallax, quum indiuidua eiusdem ſpeciei nobis tanquam ad diuerſas ſpecies pertinentia, vel viciſſim, repraeſentet. Exempli gratia, Ill. LINNAEUS, caſtanea
p. 133. et fago ſub nomine generico *Fagi* coniunctis, duas fagi ſpecies conſtituit, alteram foliis ſubtus nudis, alteram ſubtus tomentoſis; quod minus recte ab eo factum eſſe Auctor monet, quum prioris harum ſpecierum, vulgo caſtaneae nomine venientis, folia certo tempore etiam habeant glandulas villoſas (des houp-

*) L. d. 21. Iul. 1759.

houppes), propter quas tota eorum ſuperficies inferior albicat. Cuiusmodi exempla plurima Auctor exponit, ad ſuam ſententiam confirmandam. Solis illis glandulis, quae in alis foliorum reperiuntur, cum aliqua fiducia vti licere ad characteres ſpecificos exiſtimat, propterea, quod rariſſime accidat, vt, vbi illae ſemel fuerint, vnquam dispareant. Ceterum et initio et ſub finem huius commentationis aduerſus eos, qui botanicam ſine methodo, tanquam empirice, tractare geſtiunt, erudite disputat. Sequitur p. 147.

7. *Commentarius* Cl. DE L'ISLE *de cometa anni* 1758.

8. Cl. GUETTARD *commentatio, in qua ea, quae conchitis in terra, ac conchyliis in mari reperiundis, accidunt, inter ſe comparantur.* Quum huic ſcriptioni occaſionem dederit ſingularis opinio Cl. BERTRANDI de origine conchitarum, quam alibi *) indicauimus: Auctor principio argumenta, quibus ille ſuam ſententiam fulcire voluit, breuiter refutat. Deinceps pro communi hodie ſententia, quae teſtas conchyliorum, in mari olim viuentium, in conchitas mutatas eſſe ſumit, noua argumenta proponit, a quibusdam accidentibus horum foſſilium, quae pariter in conchyliis marinis obſeruantur, petita. Sunt illa triplicis generis, 1. adhaeſio conchitarum ad ſe inuicem, vel ad alia corpora, 2. conſeruatio, 3. deſtructio vel deformatio. Quamobrem Auctor omnem hanc commentationem in tres partes diuiſit. Et in hac quidem *prima parte* de adhaeſione conchitarum agit, et primum oſtreas tum aliis oſtreis vel conchyliis, tum corporibus aliis, veluti ramis arborum, corallis, ſilicibus, vario modo innecti, et ſimilem nexum in foſſilibus, quae oſtreas referunt, reperiri, plurimis p. 189. p. 195.

*) In Vol. XI. horum Comment. p. 625.

p. 213. mis docet, deinde de balanis ſeu conchis anatiferis,
p. 219. ac de tubulis idem oſtendit. Obſeruationem etiam
p. 225. hanc addit, quod vix cuiquam, qui nexum illum accuratius contempletur, dubium eſſe poſſit, quin ille ſucceſſiue, dum teſta ſit formata, factus ſit, ideoque animalculum olim teſtas illas foſſiles inhabitauerit.

9. Cl. LE GENTIL *Obſeruationes de ſtella γ mutabili in collo Cygni.*

10. Cl. ADANSON *deſcriptio nouae ſpeciei vermium, lignum et naues arrodentium, ad Senegalam ob-*
p. 250. *ſeruatae.* Hic vermis reperitur ad ripas fluuii in radicibus quarundam arborum, palisque ex earum ligno factis, ſub aqua, quae ibi per ſex fere menſes ſalſa eſſe ſolet. Degit in concha ſeu teſta, quae quidem non perfecte cylindrica, nec tamen turbinata eſt, et cuius longitudo nonnunquam decem pol-
p. 253. lices aequat, diameter dimidium pollicem. Corpus vermis eſt ſaccus membranoſus, mollis, ſubſtantiae ſimilis carni mytulorum vel oſtrearum, qui, quum plenus eſt aquae, cauum conchae prorſus explet. Affixus eſt vtrique extremitati conchae per muſcu-
p. 255. lum rotundum. Extremum ſuperius corporis definit in duos tubulos breues, per quorum alterum vermis aquam haurit, per alterum eam, poſtquam particulae limoſae, quibus nutritur, inde ſeparatae ſunt, excernit. Hos tubulos poteſt contrahere, et in concha recondere, orificium autem conchae claudere duabus valuis, palmularum luſoriarum figuram habentibus, quae aquae ingreſſum prohibent. Inferius extremum cingitur duabus laminis duris, conuexis, ex mobilibus, et ex parte ad inſtar limae aſperis, quibus vermis lignum, in quo habitat, elimat,
p. 258. domunculam ſuam ampliaturus. Terminatur autem hoc extremum corporis papilla, quam vermis

parum-

parumper exſerere ac retrahere poteſt, et cuius hic vſus eſſe videtur, vt limaturam ligni colligat, et aquae, per corpus vermis iugiter circulanti, tradat, per tubulum ſupra memoratum egerendam. Quibus expoſitis, Auctor ea, quibus hic vermis ab aliis teredinibus diſcrepat, accurate indicat, et ſimul quae VALLISNERIUS, DESLANDES, SELLIUS, et alii de teredinibus ſcripſerunt, ſub examen reuocat.

11. Cl. MARALDI *obſeruationes cometae anni* 1759, *cuius reditum* HALLEIUS *praedixerat.*

12. Cl. DE PARCIEUX *commentatio, in qua demonſtratur, rotas curſu fluuiorum maiorum motas longe maiorem effectum praeſtituras eſſe, ſi palmae ad radios inclinatae eſſent.*

13. Cl. BERTIN *commentarius de fluido nerueo.* p. 300.
Quum Vir Cl. in eo ſit, vt fluido nerueo circulationem aſſerat talem, qualem ſanguis in corpore viuo habet: viam ſibi ſternere voluit ad huius argumenti tractationem, ea percenſendo, quae hactenus de motu fluidi illius a phyſiologis tradita ſunt. Docetigi- p. 316.
tur in hoc commentario, iis, quae GALENUS de exiſtentia, natura et motu ſpirituum in neruis erudite propoſuit, vix quidquam adiectum eſſe induſtria eorum, qui poſt ipſum ad praeſens vsque tempus ea de re ſcripſerunt; niſi quod recentiores ſubtilioris anatomiae ope euictam dederint GALENI ſententiam, e maſſa ſanguinis ſecerni in cerebro fluidum illud ſubtiliſſimum, quod ſpiritus dixit, et per neruos in omnes partes corporis, ſenſus motusque gratia, diſtribui. Hac enim arte, et microſcopii auxi- p. 318.
lio, oſtenderunt, ſubſtantiam cerebri cineritiam compoſitam eſſe e vaſis, quae, poſtquam ex pia matre, vbi adhuc ſanguifera fuerunt, egreſſa ſunt, in

tubulos cryſtallinos ſeu lympham puram et pellucidam, ad inſtar cryſtalli, vehentes, degenerant, et ſubſtantiam medullarem ex illa corticali, tanquam eius continuatione, naſci, quemadmodum ſubſtan-
p. 319. tia tubuloſa renum ex eorum ſubſtantia corticali naſcitur. Sed quanquam apud omnes haud prorſus indoctos phyſiologos hodie in confeſſo eſt, ex ſubſtantia medullari cerebri ac cerebelli, et e medulla ſpinali ſpiritus influere in tubulos anguſtiſſimos neruorum maxima velocitate, ad efficiendam muſculorum contractionem: tamen illa quaeſtio, vtrum,
p. 325. quum muſculus relaxatus eſt, ſpiritus pergant influere in neruum, an influxus ille penitus ceſſet, aeque obſcura eſt etiamnum, ac GALENI tempore; licet plerique in ceſſationem influxus propenſiores eſſe videantur. Et quod ad motum ſpirituum in ſenſatione attinet, omnes fere arbitrantur, ſpiritus, qui in neruis ſenſoriis antea quieuerint, tunc repelli verſus cerebrum in iisdem canalibus, qui eos ad organa ſenſuum ducant. Itaque Vir Cl. circulationem ſpirituum per neruos affirmando, non immerito nouam ſe credit ſententiam proponere, cuius nulla in ſcriptis phyſiologicis mentio reperiatur, exceptis aliquot locis in Ill. HALLERI *comment.* in BOERHAAVII *praelectiones*, et *primis lineis Phyſiologiae*, vbi haec ſententia affertur quidem, ſed per
p. 302. modum quaeſtionis tantum, ceu mera coniectura, cui ipſe HALLERUS tam parum tribuit, vt in aliis locis eam reiiciat. Quo maiori deſiderio nos ſequentem Viri doctiſſimi commentarium exſpectamus, in quo ſe hanc rem idoneis rationibus confirmaturum eſſe pollicetur.

14. Cl. CASSINI DE THURY *commentarius de altitudine ſolis in ſolſtitio aeſtiuo anno* 1763.

15. Cl.

15. Cl. GUETTARD *pars ſecunda commentationis de iis, quae conchitis et conchyliis in mari reperiundis accidunt, inter ſe comparatis.* Pergit nunc p. 330. Auctor ad alterum genus eorum, quae circa conchylia marina obſeruantur, quod ad conſeruationem eorum ſpectat. Docet, dari conchylia quaedam, inprimis ea, quae *dactyli* dicuntur, quae ob ſuam conſeruationem in arena, madreporis, lignis, lapidibus, aliisque conchyliis ſeſe abſcondunt, item alia, quae paruis ſilicibus et conchyliis ſemet obtegunt. Multa vero Auctor exempla etiam profert conchitarum, in conchitis, aliisque corporibus, eisque duriſſimis repertorum. Et quanquam ſaepe veriſimile eſt, materiam circum illos paullatim induruiſſe: tamen de multis hoc cum aliqua veri ſpecie vix dici poteſt, et conſpicua adeo ſunt in nonnullis veſtigia laboris, quem animal, ſui conſeruandi cauſſa, in dura illa corpora penetrando ſubiiſſe videtur. Pariter inter conchitas nonnullos effodi, obſeruat Auctor, qui aliis minoribus conchitis, vel horum fragmentis tecti ſint, vel in quorum ſaltim ſuperficie cauitates cernantur, quibus inſediſſe alios conchitas veriſimile ſit. Quibus omnibus argumentorum pro origine conchitarum e conchyliis marinis numerus augetur. Ceterum, dum his exponendis vacauit Vir Cl. per p. 340. occaſionem aliquam nouum etiam argumentum contra eorum ſententiam attulit, qui lignum vere petrefactum dari negant.

16. *Marchio* DE MONTALEMBERT *demonſtrat, quam periculoſae et inſufficientes ſint hactenus uſitatae rationes experiundi bonitatem ferri fuſi, ex quo tormenta bellica paranda ſunt, quale ferrum ad ea maxime idoneum ſit, et quibus mediis haec qualitas ferri tutiſſime cognoſci poſſit.*

p. 374. 17. Cl. DAUBENTON *) *veſpertiliones* deſcribit. Eorum quidem, qui in Gallia degunt, duae ſpecies ſub nominibus veſpertilionis maioris, et veſpertilionis minoris, iam dudum cognitae erant: ſed his quinque alias ſpecies addit Auctor, nondum deſcriptas, quas etiam nominibus peculiaribus inſignit. Capita horum omnium veſpertilionum delineata exhibet, quippe per quae ſpecies illas a ſe inuicem discernere licet. Deinde nouem ſpecies exoticas, a ſe obſeruatas, deſcribit, et nomina illis, ad modum
p. 394. SEBAE, imponit. In plerisque veſpertilionibus brachium vno oſſe conſtat, quod radio in ceteris animalibus ſimile eſt. Et magis etiam ſingulare hoc eſt, quod oſſa metacarpi, praeter primum, et phalanges digitorum, praeter duas phalanges pollicis, ſint mirifice longae. Ratio autem huius rei eſt, quod primum os metacarpi, cum pollice, his beſtiis pro pede eſt, quum non volant; cetera autem oſſa metacarpi, et ceteri digiti, alarum ſuſtentacula ſunt.
p. 397. Maxilla ſuperior in plerisque veſpertilionibus eſt interrupta, ita, vt pars anterior palati ſit membranacea. Sequitur

18. *Pars III commentationis* Cl. GUETTARD *de eorum, quae conchitis et conchyliis in mari reperi-*
p. 399. *undis accidunt, comparatione.* Accedit nunc Vir Cl. ad tertium genus eorum, quae tam conchitis, quam conchyliis marinis accidunt, deformationem puta, et deſtructionem. Deformationis exempla affert in quibusdam echinitis, ſtrombis, et cardiolithis. Et quanquam non omnino negat, potuiſſe nonnunquam deformationem oriri a compreſſione aliqua concharum, limo iam obductarum, et per liquores quosdam, in eas penetrantes, emollitarum: tamen huic ſententiae, a ſe ipſo olim propoſitae, nunc, vi-
ſis

*) L. d. 22. Aug. 1759.

ſis pluribus deformationis exemplis, praeferendam cenſet iſtam, quae conchylia, in mari adhuc degentia, deformationem iam paſſa eſſe ſumit. Quod denique ad deſtructionem attinet, concedit quidem, poſſe conchas deſtrui tandem in terra a liquoribus, quibus penetrantur: ſed autumat tamen, in nonnullis exemplis fere manifeſtum eſſe, accidiſſe deſtructionem aut tunc, quum conchylia limo obducta ſunt, aut longe antea; veluti in oſtreis et buccinis, p. 406. quorum teſtae permultis foraminibus, variae et irregularis figurae, pertuſae a fluctibus maris in littora eiiciuntur, et quibus prorſus ſimilia foſſilia in terra reperiuntur; item in chamis et tellinis illis, fora- p. 407. men conicum habentibus, a buccino, quod ſe illorum animantium ſucco nutrit, formatum, quae chamae et tellinae a piſcatoribus e mari mediterraneo et oceano quotidie extrahuntur, et omnino ſimiles ſunt conchitis, foramine conico pertuſis, qui e terra effodiuntur. Ceterum ſub finem huius commen- p. 414. tationis Auctor etiam ex indole lithophythorum et ichthyolithorum argumenta petit, quibus Cl. BERTRANDI opinio conuellitur.

19. *Equitis* D'ARCY *commentatio de praeceſſione aequinoctiorum.*

20. *De ligno petrefacto* Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY *commentarius* *). Lignorum petrefactorum ſpecies ab incautis miraculorum naturae amatoribus nimium multiplicatas, et in hunc numerum relatos ſaepe eſſe lapides filamentoſos ac foliaceos, externa quadam ſpecie lignum mentientes, non eſt diſſimulandum. Et deprehendit eorum quidem errorem peritiorum hiſtoriae naturalis obſeruatio, qua lapides illos vaſtorum ſtratorum terrae homogeneo- p. 431.

 rum

*) L. d. 21. Aug. 1756.

rum partes fuiſſe animaduerterunt: ſed hinc haud pauci, vt fit, in contrarium errorem ſeducti ſunt, vt ligna petrefacta dari omnino negarent, ſimplicem tantum incruſtationem concedentes. His Auctor opponit exemplum trunci arboris cum radicibus,
p. 434. quem petrefactum reperit Cl. DU HAMEL prope Rupemfortem in collis cuiusdam ſtrato argillaceo vel potius limoſo, cui incumbit ſtratum e lapillis albis et duris conſtans, decem pollices altum, ſub humo nigra et leui poſitum, quae duos fere pedes alta eſt. Strato, in quo arbor petrefacta delituit, ſubiacet ſtratum ſabuli lutei, quod obtegit lapicidinam, quae ad radices vsque collis extenditur, et in qua lapis eiusdem fere grani cum trunco petrefacto habetur. Deſcripta hac arbore, Auctor coniecturis, experientia nixis, explicare ſtudet modum, quo lignum in lapi-
p. 442. dem conuertitur. Sententia eius huc fere redit: maxima ligni parte putreſcendo deſtructa, remanere tantummodo quaſi ſceletum ligneum, conſtantem e moleculis terrae vegetabilis ſubtilis, quae ſitum et poſitionem, quam in viua arbore habuerunt, ita conſeruant, vt organica ligni ſtructura inde adhuc agnoſci queat; huius ſceleti terreas quaſi fibras permeari iuxta ipſarum directionem a liquore illo cryſtallino ſeu petrefaciente, qui colligendis et vniendis moleculis terreis, ad eam rem idoneis, lapi-
p. 445. des generet (qualem liquorem dari, multis probabilibus argumentis confirmat), et ſic fibras illas terreas in lapideas mutari. Et quemadmodum diuerſam lapidum diuerſorum indolem non ſolum a diuerſis qualitatibus illius liquoris, ſed etiam a diuerſa natura materiarum, quae petrefiunt, pendere veriſimile eſt; ita et hinc explicari poſſe autumat diſcrimen, quod in partium arboris petrefactarum cortice, libro, et ligno obſeruatur. Praeterea quorundam aliorum admirabilium phaenomenorum, in li-

gnis

gnis petrefactis obſeruatorum, rationes ex ſua ſententia reddere conatur; ſed de his vt harum rerum curioſi ipſum hunc commentarium conſulant, ſatius eſſe putamus.

21. Cl. LE GENTIL *annotationes de ſtellis nebuloſis.*

22. Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY *commentarius de alumine* *). Alumen eſſe ſalem neutrum, qui fiat combinatione acidi vitriolici cum baſi terrea, ſatis quidem exploratum eſt: ſed qualis terra illa baſis ſit, nondum liquet. Quod conſiderans Vir Cl. propoſuit ſibi, acidum vitriolicum cum plu- p. 472.
rimis terris alcalinis combinare, et qualia ſalia neutra inde reſultent, annotare, vt hac via in eam terram incideret, quae aluminis baſis eſt. Quae haec laborum ſeries ipſi ſuppeditauit memoria digna, ſuo tempore cum chemicis communicabit; in praeſen- p. 476.
ti autem duo tantum ex illis depromere voluit. Videlicet terra quaedam ſubtilis, leuis, citrini coloris, prope vrbem Redonum in Britannia minori in loco, p. 478.
vbi terra tripolitana effoditur, reperiunda, cum acido vitriolico combinata, ſine addito alcalino ſale, breui tempore ſuppeditauit ipſi verum alumen. De- p. 481.
inde ſimiliter ex contuſo lapide cinerei coloris, in quo amiantus Cyprius naſcitur, obtinuit cryſtallos, quae omnes aluminis proprietates habebant, praeter figuram, quippe quae non octaedra, ſed parallelepipeda oblonga, in pyramidem deſinentia, repraeſentabat.

23. Cl. DE CHABERT *ſchema obſeruationum aſtronomicarum et hydrographicarum, quae ſeriem mappa-*

 rum

*) L. d. 7. Dec. 1759.

rum nauticarum, pro mari mediterraneo exacte conſtruendarum, praebere poſſunt.

24. Cl. DU HAMEL *obſeruationes botanico-meteorologicae anno* 1758 *habitae.*

25. Cl. DE LA CAILLE *monita de computo elementorum theoriae cometae anni* 1759.

26. Cl. MORAND, *iunioris, diſquiſitiones anatomicae de ſtructura et vſu thymi* *). Circa ſtructuram
p. 526. thymi praeter nota obſeruat, eum ex pluribus lobis conſtare, a membrana, in quam mediaſtinum expanſum eſt, cinctis et ſibi inuicem annexis, qua mem-
p. 534 brana etiam totus thymus inuoluitur; maſſam autem cuiusque lobi in canibus et vitulis plurimas continere cellulas, liquore lacteo plenas, in infantibus vero longe pauciores cellulas, et parum liquoris lactei, ſed largas cauitates vacuas, a BARTHOLINO iam notatas. Hinc rationem reddit, cur thymus in recens nato mirifice amplietur, paullo poſt autem
p. 535. decreſcat, et in adultis fere oblitteretur. Illud, inquit, efficitur abundantia ſanguinis, in infante, qui mammas matris ſugere coepit, qua fibrae, vaſa et cellulae thymi adhuc valde flexilis non extendi non poſſunt; hoc inde partim eſt, quod ſanguis, qui nunc craſſioribus et minus fluidis particulis conſtat, perquam anguſtos tubulos thymi non amplius permeare, eosque flexiles ſeruare poteſt, vnde fit, vt impulſioni fluidorum ac motui cordis reſiſtentes non modo non extendantur amplius, verum etiam indureſcant, partim a motu pulmonum pendet, quippe qui non ſolum in inſpiratione thymum comprimunt, ſed quoque, ſanguinem libere transmittendo, multum eius arteriae carotidi et arteriae thymicae ſubtrahunt,

*) L. d. 1. Dec. 1759.

trahunt, vt ſolita fluidorum copia ad thymum non amplius deferatur. Quod ad vſum thymi attinet, docet Auctor idoneis argumentis, quod ab aliis coniectatum erat, eum totum ad nutritionem foetus in vtero pertinere, quatenus ſanguis nondum ſatis elaboratus parte ſucci lactei, quem ex vtero vel placenta ſecum attulit, in cellulis huius viſceris priuatur, vt reliqua pars, nunc depurata, et affuſo per vaſa thymi lymphatica liquore modificata, ad ductum thoracicum et venam ſubclauiam per eadem vaſa lymphatica deferri, et torrenti circulantis ſanguinis immiſceri poſſit. p. 531.

27. Cl. GUETTARD *commentarius de topographia mineralogica Aluerniae.* Deſcribitur hic regio circa *Ricomagum*, reſpectu ad foſſilia habito, quae ibi in et ſub terra reperiuntur. Quia autem, quae hic leguntur, in compendium mitti non poſſunt, duo tantum inde enotabimus, quae nobis prae ceteris memorabilia videntur. Quum canalis excauabatur, reperiebatur marga fuſco-lutea, quae per campos vicinos diſſipata, terram admodum fertilem reddidit. p. 545. In quibusdam praedictae regionis locis lignum petrefactum effoditur, veluti in territorio *Claramontii.* p. 550. Fruſtum quoddam huius ligni, aquae iectum, vt ablueretur, aquam citrino colore tinxit, et redditum eſt mollius, vt inde ſcintillae acie difficilius, quam antea, elicerentur. Quum Cl. DU TOUR fruſtum eiusmodi ligni petrefacti ad medietatem immergeret aquae, vidit eam ſpatio quadrantis horae pollicem vltra libellam in ipſo aſcendere, tanquam in tubulo capillari, vel in panni lacinia; quanquam fibrae ligni maſſam continuam ſine interſtitiis formare videntur.

II.

Relation d'une Maladie epidemique et contagieuſe, qui a regné l'Eté et l'Automne 1757 ſur des Animaux de differentes eſpeces dans quelques villes et plus de ſoixante Paroiſſes de la Brie etc. Par M. H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN, ancien Chirurgien des Hopitaux et Armées du Roi, et actuellement Medicin employé ordinairement, par ordre de Sa Majeſté aux epidemies des Hommes. Paris chès L. Prault. 1762. 12. p. 58.

i. e.

Relatio de morbo epidemico et contagioſo, qui per aeſtatem et autumnum anni 1757 graſſabatur inter animalia varii generis in nonnullis vrbibus et plus quam ſexaginta parochiis prouinciae Brienſis. Autore H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN.

p. 3. Morbus hic contagioſus non boues tantum, ſed et equos atque inprimis, quod rariſſime alias fieri ſolet, aſinos inuaſit, maximamque horum animalium partem in prouincia Brienſi occidit. In animalibus vero eo correptis, nulla fere febris, nullaeque praeter naturales excretiones animaduertebantur, eaque ipſa fere ad mortem vsque cibum potumque conſueto more capiebant. Praecipuum itaque morbi ſignum erant tumores quidam, nullum dolorem excitantes, mollioresque, fouea ſcilicet digito impreſſa diu in illis ſubſiſtente. Oriebantur vero eiusmodi tumores ſub cute in tela celluloſa, iis potiſſimum in locis, vbi ea laxiorem quodammodo habi-

tum

tum oſtendere ſolet, v. c. in inferiore colli, pectoris et abdominis parte, in ſcroto et ad vbera. Talium tumorum plerumque duo ad ſex vsque aderant, quorum ſinguli inter ſe chordarum eleuatarum ope communicabant. Repleti erant intus tela celluloſa fungoſa, ſanguinolentum ichorem continente, atque iure a Noſtro cum carbunculis et bubonibus comparantur. Qui ex vena animalis contagioſo hoc morbo affecti profluebat ſanguis, maxima corruptionis dabat ſigna. Erat enim ſpumeſcens, viſcidus, nonnunquam quaſi lardoſus, atque vt plurimum cruor nigrum, ſeroſa vero pars flaueſcentem vel virideſcentem habebat colorem. Quae vero a Cl. Auctore hic collectae ſunt hiſtoriae diſſectionum animalium, quae hoc morbo interfecta ſunt, eae oſtendunt, locum, quem tumores hi exterius conſpiciendi occupabant, ſemper relationem quandam habuiſſe ad internam morbi ſedem, aut partes vi morbi corruptas. In iis enim animalibus, in quibus vel thoracis vel abdominis viſcera laeſa erant, ſemper quoque tumores vel ſub thoracis vel ſub abdominis integumentis reperiebantur. Quodſi vero nulli tumores exterius aderant, tunc ſemper ſanguis reſolutus in internas corporis cauitates effuſus deprehendebatur. p. 23.

Cauſam autem epidemiae huius Cl. Auctor potiſſimum in calore aeſtatis 1757 ponit, quippe qui ob praegreſſam pluuioſam tempeſtatem aeris corruptioni et contagioſis morbis, praecipue in paludoſa regione, qualis Brienſis eſt, facile occaſionem dare poterat. p. 24.

Curationis methodus accommodanda eſt ſtadio morbi animalis eo correpti. Animalia illa, quae tumores exterius habebant, facilius euadebant, quam ea, in quibus viſcera corrupta erant, in quibus plerumque morbus fatalem exitum habebat. Inter remedia a noſtro propoſita venaeſectio primum occupat locum. Quae vero crebrius repeten- p. 27.

da

da atque in initio ſtatim morbi adminiſtranda eſt. Commendantur porro clyſmata lenia et purgantia antiphlogiſtica, draſtica vero omnia reiiciuntur, e contrario autem ſerum lactis, cremor tartari et nitrum laudantur. Tumores reſoluere optimum eſt; quodſi vero hoc commode fieri non poteſt, tunc incidendi, et, ſi gangraena iam acceſſerit, exſtirpandi
p. 44. ſunt. Praeſeruationi inſeruiunt purgantia et cauterii adplicatio. Reliqua huius libelli curam potiſſimum concernunt, qua contagii progreſſus coercendus
p. 54. eſt, atque nil niſi cognita continent. In fine huius tractationis aliquae obſeruationes adnexae ſunt, in quibus Cl. Auctor ex morbi deſcripti hiſtoria nonnulla phaenomena, quae in morbis hominum nonnunquam obſeruantur, explicare tentat. Putat enim Noſter, tumores metaſtaticos, qui ſaepe ex vno loco ad alterum transeunt, locum ſuum mutare ope telae celluloſae et chordarum illarum, quas in animalibus ſimili materia purulenta repletas vidit. Venerei quoque veneni ſedem potiſſimum in tela celluloſa ponit, atque ſaepe et in aliis morbis materiam morboſam in contextu celluloſo haerere, viſceribus ipſis illaeſis, variis argumentis confirmat.

III.

10. HUXHAMI, Med. Doct. Reg. Societ. Londin. et Collegii Regii Medicorum Edimburgenſis Socii, Opera phyſico medica. Curante GEORGIO CHRISTIANO REICHEL, Phil. et Med. Doct. et Facult. Med. Lipſ. Aſſeſſore. Lipſiae, impenſis Io. Paul Kraus, 1764. 8. Tom. I. Alph. I. pl. I. Tom. II. pl. 14½. T. III. pl. 13½. c. tab. aen.

Quae nouitate ac vtilitate ſeſe commendant ſcripta, de iis vt referamus ad Lectores noſtros, ipſi

ipſi forſitan a nobis exſpectant: nouum vero quum ei, quod vtile eſt, longe poſtponi debeat, iis gratum fore ſperamus, ſi nouam breuiter indicemus editionem libri, in quo quidem noui aut nondum impreſſi quid fruſtra quaeſiuerint, cuius tamen medici eruditi omnes vno fere ore ſunt confeſſi praeſtantiam, quae ſimul exinde apparet, quod maxima eius pars vel aliquoties recuſa, vel etiam in alias linguas ſit translata. Hinc nulli dubitamus decernere laudes Cl. REICHEL, quod ſcripta Cl. HUXHAMI, quotquot conquirere potuit, iunctim edendi, et opera haec vulgatiora reddendi inierit conſilium. Quae latino ſermone conſcripta ediderat olim Cl. HUXHAMUS, integra et nullo modo immutata hic denuo traduntur, quae vero in diariis variis ſparſim extabant anglice et gallice, collegit latinitatique reddidit indicemque locupletiſſimum adiici curauit Cl. REICHEL.

Nos vero, cum de nonnullis alibi iam expoſuimus, nunc elenchum tantum faciamus, vt pateat, quaenam ſint Cl. HUXHAMI ſcripta in his operibus inuenienda. Placuit Editori, in tres tomos vt diuideretur opus, quorum *primus* Obſeruationes de aere et morbis epidemicis, ab anno 1728 ad finem anni 1748 vsque Plymuthi factas, olim duobus voluminibus editas et a nobis iam *) laudatas, continet. *Secundus tomus* in ſe comprehendit librum de febribus earumque variis generibus, cui adiuncta eſt diſſ. de variolis, et altera de pleuritide et peripneumonia. *Tertius tomus*, opuſcula varia exhibens, complectitur 1) Excerptum epiſtolae ad IAC. IURINUM datae, partium genitalium in muliere ſtructuram praeternaturalem ſiſtentis, quod in Transact. philoſoph. Anno 1723 Num. 379. p. 408. proſtat; 2) Obſeruationes duas rariores, quarum prima ingens

*) vid. Comment. noſtr. Vol. II. p. 577.

gens omentum, altera ſaliuae colorem inſolitum concernit, in epiſtola ad eundem, deſumtas ex Transact. phil. Ann. 1724. Num. 382. p. 60. 3) Diſſ. breuem de variolis epidemicis anomalis, phil. Transact. Ann. 1725. Num. 390. p. 379. inſertam, latine verſam. 4) Diſſ. de aurora boreali ex Transact. phil. Ann. 1726. Num. 395. p. 132. 5) Duos caſus rariſſimos ex epiſtola ad GUIL. RUTTY, in Transact. phil. Ann. 1730. Num 413. p. 217. 6) de morbo colico ſingulari epiſtolam ad IAC. IURIN, ex phil. Transact. Ann. 1732. Num. 422. p. 236. 7) Diſſ. de polypis ex nautarum ab India occidentali Plymuthum proxime reuertentium corde extractis, ex epiſtola ad Cl. MORTIMER data et in phil. Transact. Ann. 1742. Num. 464. p. 123. extante. 8) Opuſculum de morbo colico Damnoniorum, eoque maxime epidemico anno 1714. 9) Nautarum in diu durantibus curſibus exploratoriis et longisitineribus ſanitatem conſeruandi methodum. 10) Diſſ. de angina maligna; inuenitur haec in Recueil periodique des Obſeruations de Medecine, Chirurgie et Pharmacie, par M. VANDERMONDE Tom. VII. p. 241 et 321 *); vltimo tandem loco adduntur obſeruationes medicae et chemicae de antimonio, primo ſeorſim editae et poſtmodum phil. Transact. Vol. XLVIII. p. 832. **) inſertae.

Atque haec ſunt, quae in his deprehenduntur operibus. Cum vero Cl. REICHEL ſibi expetierit a lectoribus plura, ſi fieri poſſet, ſibi indicare Cl. HUXHAMI opuſcula, non poſſumus, quin moneamus, nonnullas minoris etſi molis et operae proſtare obſeruationes et epiſtolas, hic omiſſas: ita e. c. legi poſſunt in phil. Transact. Vol. XLVI. p. 472. Litterae ad Cl. MORTIMER datae, in quibus obſeruationes aurorae borealis

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. p. 454. 457.
**) ibid. Vol. V. p. 592.

realis diebus 15 et 16. Febr. anno 1749 - 50. viſae continentur *); in eiusdem diarii Vol. L. P. I. p. 428 etiam reperitur obſeruatio de calore aeris menſe iulio 1757, propoſita in literis ad Cl. WATSON **), et Vol. L. P. II. p. 523. relatio traditur de aeſtu extraordinario iulii 1757 eiusque effectibus in literis ad Cl. WATSON datis ***); itidem occurrit in Vol. LII. Part. II. p. 515 extractum epiſtolae ad eundem, referens duos memorabiles caſus chirurgicos ****), vt alias HUXHAMO non proprias, ab ipſo tamen Societati Regiae communicatas taceamus obſeruationes, quas cum aliis tum editis tum forſan adhuc edendis Cl. HUXHAMI opuſculis in ſupplemento ſeu quarto horum opuſculorum tomo itidem a Cl. REICHEL editum iri confidimus.

IV.

Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen von IOH. ERNST IMMANUEL WALCH, *der Beredſamkeit und Dichtkunſt ordentl. öffentlicher Lehrer auf der Univerſität zu Jena. Halle, bey Joh. Juſtinus Gebauer,* 1762. 8. *pl.* 11½. *m.* 24 *Kupfertafeln.*

i. e.

Regnum lapideum ſyſtematice propoſitum ab IO. ERN. IMMAN. WALCH.

Cl. Auctor in praefatione huius libri fatetur, ſe vix librum peruoluiſſe lithologicum vel mineralogicum, quin erroribus vel difficultatibus obrutus fuiſſet,

*) vid. Comment. noſtr. Vol. I. 696.
**) ibid. Vol. IX. p. 694.
***) ibid. Vol. X. p. 134.
****) ibid. Vol. XIII. p. 13.

fuiſſet. In omnibus reprehendit: 1) plurima ſyſtemata chemicis ſuperſtructa eſſe fundamentis, in qua tamen norma non vno modo impediatur is, qui per ignem foſſilium differentias eruere ſatagit, quin potius et operoſiſſimam rem et ſaepius non licitam ſuscipiat, atque hac ratione lithographia cum lithognoſia confundatur; 2) non ſatis determinari characteres, formam et externum habitum, quibus lapides a ſe inuicem dignoſcuntur, cuius vitii cauſſam vel in deſcribendi modo vel in defectu iconum latere arbitratur; 3) quoad ſyſtematicam eorum diſpoſitionem, claſſes et ordines ſaepe praeter neceſſitatem augeri, ſpecies et varietates neque rite diſtinctas neque recte annotatas eſſe; 4) eos, qui lithographias ſcripſerunt, in ſuis ſcriptis alios auctores non frequenter et copioſe citaſſe; 5) confuſionem inde oriri, quod vagi nimis in determinandis denominandisque lapidibus fuerint auctores; 6) denique, nimis ſtudioſe a multis animaduerti loca, vbi haec corpora, petrefacta inprimis, reperiuntur, cum tamen exinde non ſatis diſtingui poſſit, vtrum ab aqua ſeu fluuiis eo aduecti ſint lapides, vel an ibidem effoſſi caeſique. Quo itaque has difficultates euitaret Cl. Auctor, in hoc libro ad quinque potiſſimum reſpexit momenta: 1) vt lapides omnes, ſiue ſint figurati nec ne, non chemiae ope, ſed characteribus ſenſui obuiis discerneret, et ea inprimis ſigna, quae a forma, colore, habitu externo, partium diſpoſitione cet. deſumuntur, colligeret; 2) vt corpora haec lapidea non modo, quatenus fieri poſſet, deſcriberentur, ſed iconibus etiam illuſtrarentur; 3) vt concinnior ſeruaretur ordo rerum diſtribuendarum, quo lapidum genera et ſpecies melius intelligerentur; 4) vt ſimul adducerentur peritiſſimorum virorum libri, eo quidem conſilio, vt ipſos fontes adeundi opportuna cuique eſſet occaſio; 5) vt quodcunque

cunque ſuperfluum ſit in lithologia, omittatur. Icones huic libro additae, non inelegantes, ad naturalia exemplaria lapidum ex muſeo Cl. WALCH factae, ea ſatis apte exprimunt. En! conſilium Auctoris, ſimul ac ſummam libri, qui duobus conſtat capitibus, quorum primum agit de rebus lapideis in genere, alterum de corporibus, quae petrefacta vulgo dicuntur.

Color et forma vt ſigna, ab externo habitu deſumpta, ſufficiunt, ex quibus ſolis in muſeis collectorum lapidum differentiae ſtabiliri poſſint. Quo autem appareat, quo ordine ſyſtematice ſecundum hoc diuiſionis fundamentum lapides collocauerit Cl. Auctor, ſatius eſſe putamus, tabulam generalem libri adponere. Lapides itaque ſunt vel p. 3.

figurati

I. idiomorphi
- A. forma quadam
  - a) natura formati, vt
    - α) quarzum, gypſum, ſpatum
    - β) ſtalactitae
    - γ) lapides polyaedri, vt pyrites.
  - b) caſu fortuito formati, his eſt ſimilitudo
    - α) cum corporibus naturalibus
      1. animalibus
      2. vegetabilibus, vt amygdalitae, ficolitae cet.
    - β) cum artefactis
      1. facie externa, v. c. caſei facie
      2. ſtructura interna, vt aetitae.
- B. picti
  - a) pictura per integrum lapidem, vt farciminis facie lapides.
  - b) in ſuperficie tantum, quorum eſt ſimilitudo

α) cum rebus naturalibus
1. corporibus coeleſtibus, aſteritae
2. terreſtribus, limnitae, chorolithi cet.
β) cum artefactis, vt grammatolithi, ſtaurolithi cet.

II. heteromorphi, quorum forma
A. deſumptis partibus quibusdam orta; vt ceraunei.
B. auctis aliisque partibus corporum diuerſorum adiectis expreſſa; corpora haec peregrina
a) vel adhuc ſuperſunt, vt
α) corpora petrefacta et ex re metallica conſtantia
β) mutata calce vel terra
γ) indurata atque incruſtata.
b) vel non ſuperſunt, ſed impreſſionis modo ſigna
α) facie externa
β) facie interna.

vel non figurati

I. Lapides continui, partibus inconſpicuis
A. pellucidi, vt quarzum quodlibet, eſt
a) vel purum, vt
α) gemmae verae, adamas.
β) ſpuriae, cryſtalli.
b) vel impurum.
B. ſemipellucidi, *Hornſteine*, quorum alii
a) nobiles, carneolus, onyx.
b) ignobiles, ſilex vulgaris.
C. opaci
a) nobiles, iaspis, lapis lazuli, heliotropius cet.
b) ignobiles.

II. La-

II. Lapides granulati,
A. molles, et forma et magnitudine varia
a) tactu aſpero,
α) particulis micantibus fractura facta, alabaſtrum.
β) nullis micantibus, marmora.
b) tactu leni,
α) paululum pellucidi, *Nierenſtein.*
β) opaci, ſmectis.
B. duri, quarzo ſimiles, lapides arenarii omnes.
III. Lapides lamelloſi,
A. tactu glabro,
a) vel lamelloſi, cuborum forma, nexu partium asperi ſelenites.
b) vel lamellis conſtantes ſplendentibus, ſuperficie plana, mica, glacies mariae.
B. tactu, vt in pinguibus corporibus, talcum, *Talk.*
IV. Lapides filamentoſi,
A. fibris compoſiti, pumex.
B. filamentis radiorum modo poſitis, laxis, ſuillus lapis Bononienſis.
C. filamentoſi ſimpliciter, amianthus.
V. Lapides ſciſſiles
A. colore nigro
B. variantibus coloribus.

Sequitur alia de petrefactis tabula, complectens primum regni animalis corpora, quibus denique ea ad vegetabile regnum pertinentia ſubiunguntur hoc modo:

Animale regnum

I. Animalia lapidea terreſtria
1) corporis humani
2) animalium quadrupedum
3) auium
4) inſectorum
5) vermium,

II. Animalia lapidea aquatica:
1) absque valuis
2) cum valuis
α) cochleae lapideae:
— absque turbinibus
— cum turbinibus.
β) conchae lapideae:
— animalia vniualuia.
— biualuia.
— multiualuia.

III. Animalia lapidea, amphibia dicta.

Vegetabile regnum.

I. Plantae terreſtres.
II. Plantae marinae.

p. 46. Petrefactorum ſeptem genera Cl. Auctor eſſe ſtatuit, ſunt alia, inquit, vere lapidea, vel metallis impraegnata; alia in calcem mutata; terris ſimilia; obdurata; incruſtata; animalia et plantae in lapide expreſſa; lapidum nuclei, imagines rerum imitantes.

p. 47. Quaeſtiones, paucis ſolutae, ſunt ſequentes: prima eſt de petrefactorum ortu, vbi monet Cl. Auctor, petrefacta ad naturae luſus non pertinere; eſſe corpora in lapides mutata, de quibus certe conſtet, ea originem vel ex animali vel vegetabili regno coepiſſe; non omnia animantia vt vegetabilia eiusmodi mutationem eadem facilitate admittere; quotidie oriri petrefacta; mutationis tempus eſſe incertum; cauendum eſſe ſibi, ne vera petrificata cum opinatis confundantur. De petrefactorum loco altera exiſtit quaeſtio, quid enim in cauſa eſt, cur in altiſſimorum quoque montium acuminibus talia corpora reperiantur? Quaedam, eſt ſententia Auctoris, eſſe diluuii vniuerſalis monumenta; permulta alia nullo modo, nec vbiuis locorum vna eademque petrefacta extare, neque omnibus eſſe eandem lapi-

dum

dum naturam, ſed plerumque ratione matricis differre. Iam ex his, quae diximus, patet, quomodo Cl. Auctoris libellus ad intelligendas rerum lapidearum ſeries ſit proficuus? Nos de eius vtilitate plane non dubitamus.

V.

Elementa phyſiologiae corporis humani. Auctore ALBERTO V. HALLER etc. Tomus ſeptimus. Inteſtina. Chylus. Vrina. Semen. Muliebria. Bernae, ſumptibus ſocietatis typographicae, 1765. 4. P. I. Alph. 3. pl. 5. P. II. Alph. 1. pl. 2. tab. aen. 1.

In praefatione, quae huic tomo praefixa eſt, Ill. Auctor defenſionem ſententiae ſuae de ſenſibilitate et irritabilitate, quam denuo impugnauit ROBERTUS WHYTT, addit, eamque nouis argumentis corroborat. Quod ad contenta huius tomi attinet, in duas partes iſte diuiditur: in priore nimirum nonnulla adhuc, quae ſunt toti generi humano communia, et quae ſexus maſculus peculiaria habet, explicantur, in poſteriore autem de ſexu altero diſſeritur. Sic liber primus, ordine tamen vigeſimus quartus, de inteſtinis; vigeſimus quintus de vaſis chyliferis; vigeſimus ſextus de viis vrinariis, et vigeſimus ſeptimus de partibus genitalibus maſculis agit; vigeſimus demum octauus, qui partem poſteriorem vnice conſtituit, muliebria eorumque functiones exponit.

Ab inteſtinis tenuibus initium ſit; latius quam p. 1
cor ipſum regnat inteſtinum, et in homine nonnullisque animalibus inteſtinorum diſcrimen eſt, alia tenuia, alia craſſa: in vtraque claſſe differt fabrica et contenta materia, ac in vniuerſum plus eſt in laxi-

ori inteſtino fibrarum longarum, transuerſarum in tenui. Homini vulgo dicuntur eſſe proprii corporis ſextupla: ſed variat haec menſura. Inteſtinorum tenuium in omnibus animalibus maior eſt longitudo, quam craſſorum. Plerumque tenuia in duodenum, ieiunum et ileon diuiduntur; non bene tamen. Vnicum enim eſt, cum et ſimilis ei fere vndique fabrica ſit, et diameter parum diuerſa. Incipit tenue inteſtinum a ventriculo, omneque, quod eſt inter meſocolon transuerſum et inter coecum, hoc nomine inſigniendum eſt. Inteſtinum cylindrus eſt membranaceus, et prima membrana a peritonaeo prouenit, quae in duodeno non reperitur, eſtque ea inſenſilis, ſequitur celluloſa prima, deinde membrana muſculoſa, in qua fibrae longae et circulares deprehenduntur, hae in homine validiores, illae vero tenuiores ſunt. Hanc excipit neruea, tum celluloſa tertia, vltimo villoſa, et haec epidermis eſt continuata, atque dicitur inſenſilis, et valuulae quae in inteſtinis ſunt, ab hac tunica proueniunt: eſt enim ea multo amplior, quam tunica neruea, ideoque valuulae ſunt e duplice villoſa tunica. In hac villi ſunt conſpicui, qui fiunt epidermide et interiore celluloſa tela, nec vllo modo debent referri ad fibras muſculares. In his inteſtinis et folliculi varii et frequentiores glandulae ſunt, ex quibus humor prouenit, cuius natura, cum varii humores, vt bilis, liquor pancreaticus etc. admixti ſint, non ſatis conſtat, copia tamen reliquos humores ſuperare, et mitis, ſubſalſus, paulo viſcidus, ad putredinem facilis, conſolidandis teneris inteſtinorum neruis, ab acrimonia violatis, aptus eſſe dicitur. Hic ipſe humor praecipua penus erit, de qua vaſa lactea ſuum, praeter chylum, humorem ſugunt, lympham nempe reſumunt. Praeterea et copioſa vaſa, tum arterioſa, tum venoſa, neque pauciores nerui in inteſtinis ſunt.

Deſcri-

Deſcriptis inteſtinis tenuibus, functionem eo- p. 50.
rum conſiderat Noſter, quam in mutandis alimentis conſiſtere, oſtendit. Maſſa haec alimentoſa, mucoſa et viſcida, flaua ſaepe, nunquam alba, in duodenum venit, in quo tamen iam albeſcit, ab admiſta vero bile perpetuo flaueſcit: in ieiuno quidem inteſtino maſſa de cibo ſuperſtes flaueſcit, eo magis tamen albeſcit, quo longius per ieiunum percurrit ſpatium. In ileo mucus quidem ſemper, magis autem magisque pellucidus eſt. In hoc inteſtino odor alimenti magis magisque fatuo dulcis fit, qualis odor putredinem praecedit. Dura corpora et viribus humanis maiora conſeruant fere figuram; eo perfectius tamen officio ſuo functum eſt inteſtinum, quo magis cibi peculiaris integra figura et cohaeſio deleta eſt. Licet autem alimentorum magna ſit mutatio; tanta tamen, vt videtur, non eſt. Sic enim ſemina vim germinandi retinent; plurima etiam pars acoris ciborum vegetabilium in faecibus inſuperata relinquitur; immo in ipſos animalium humores acida natura tranſit; in lacte acor percipitur; in ſudore acidus odor ſupereſt, et in ſanguine acida cacochymia ſubnaſcitur: omnium minime ſal marinus ſuperatur, et aliae alimentorum aliorumque corporum qualitates, v. g. allorum rancor, moſchi odor theique color, in ſanguinem immutatae transeunt. De venenis dubitatur: aliqua ſubigi, certum videtur, ſaltem animalia e. g. venenum viperae; non omnia tamen, ſic plerumque boum lue extinctorum caro et testudinum, certo anni tempore in cibum receptorum, proprium venenum eſt. Itaque alia venena vegetabilia et animalia ſubigi, alia neutiquam, colligitur. Mineralia venena vim noſtri corporis ſuperant, exemplo arſenici; alia corpora ſorbentur immutata; ſic oleum ad lotii vias et mercurius ad oſſium cellulas venit. Ipſa

denique ferri terra abunde tranſit in ſanguinem, an autem aliae terrae ſubigantur, dubitari poteſt. Fatetur demum Noſter, non poſſe tuto definiri, quae per inteſtina mutentur corpora, quaeque in noſtram naturam aut mutentur, aut renuant mutari. Praeparatus nunc chylus in vaſa lactea ſorbetur, eſtque in eo lactis natura, color idem gratusque ſapor; conſtat iſte ex aqua, multa pinguedine butyroſa, caſeoſis particulis et abundante terra; acida natura in chylo dominatur, facileque alimentorum dotes v. g. colorem et odorem recipit, ac naſcitur in inteſtino chylus diuerſis temporibus, vt vires digeſtrices validae fuerint, et vt ipſe cibus ad lacteam naturam propius acceſſerit. Num per venas meſentericas reſorbeatur chylus, affirmarunt alii, alii negarunt. Adfirmantes aliqui ad venarum meſentericarum amplitudinem reſpexerunt; ſed haec ſententia infirma a Noſtro pronunciatur. Aliquando plus eſſe virium dicitur in reſorptione celerrima humorum, inprimis aquae. Aliud argumentum pro reſorptione in venas ab auium, quadrupedum frigidorum et frigidorum piſcium analogia depromitur, quippe in quibus nulla ſunt vaſa lactea, et chylus tamen a venis meſentericis reſorbetur. Alia argumenta pro reſorptione praebent glandulae in ſenibus exiguae et exſuccae, abſentia bilis in chylo, ductusque thoracicus deſtructus, ita tamen, vt homines diu ſupereſſent. Licet autem Cl. HUNTERI experimenta ſuadere videantur, ab inteſtinis in lactea vaſa patulam viam eſſe, non perinde in venas meſentericas, contraria tamen et numeroſa argumenta eſſe, vt Auctor dicit; ſic viam in inteſtinum aquae, oleo, glutini piſcium aliisque humoribus patere, hinc, i. oſtia venarum meſentericarum oleum et gluten piſcium admittant, non videri repudiatura chylum, qui vtroque tenuior ſit, oſtendit, in arterias autem meſente-

ſentericas nihil ſorberi, ob circulum ſanguineum detectum facile probatur. Sed quaenam ſunt cauſae, p. 70.
quae ventriculi contenta in chylum mutant? Has varias eſſe, Noſter docet, primoque ad calorem et aerem reſpicit. Calore aer fixus in corporibus liberatur et elaſticus euadit; tunc autem a conatu repulſiuo aeris elementa ciborum diſpiciuntur et attenuata coniunguntur; inprimis autem calor in inteſtinis efficax eſt, atque mobilia reddit, quae in cibo firma et glutinoſa ſunt, vt demum numerus particularum fixarum in alimento minuatur, et augeatur numerus volatilium molecularum, quae ſuper ignem in ſalem vrinoſum mutari nunc aptae ſint. Iisdem quoque cauſis homogenea maſſae chyloſae natura naſcitur; putredine enim peculiares vires corporum deſtruuntur et acor, cum pinguedo ad particulas acidas adhaerens eas reddat volatiles, deletur; immo maſſa haec magis ſimilaris fit, poſtquam pleraque corpuſcula, ad fugam aptiora, de cibo deceſſerunt. Aliam cauſſam praebet ſuccus inteſtinalis, qui adhaeſionem corporum ad inteſtina impedit, viſcidasque particulas diluit, et acrimoniae ciborum effectum mitigat; deinde bilis notatur, quae tenacia ſoluit et acorem, vrinoſam ſuam indolem ei opponendo, ſubigit, et motum periſtalticum ſuſcitat: porro ſuccus pancreaticus attenditur, qui et bilem cyſticam et maſſam cibariam diluit; tum mucus inteſtinorum quidquam confert, qui non ſolum villoſam tunicam, cui maxime ſentientes nerui ſubſunt, defendit, ſed et particulas terreas aliasque inter ſe ligat, et oleum cum aqua optime vnit. Tandem praecipuum inſtrumentum et mutationis et promotionis maſſae cibariae ſiſtit motus muſcularis: hunc aliqui a muſculis abdominis repetierunt et a diaphragmate, parum tamen iis viribus prementibus tribuendum eſt, multum contra inteſtinorum natu-

ra irritabilis huc facit. Eſt autem adeo accurata vis contractilis, vt inteſtinum quaſi filo conſtrictum arctetur et nulla omnino cauitas ſuperſit. Id experimenta docent: irritata enim contrahuntur, etiam poſt mortem, et educta de proprio corpore; immo poſt diuturnam abſtinentiam a cibis inteſtina anguſta euadunt. Ex his colligendum eſt, perpetuum in viuis animalibus ad contractionem niſum eſſe, cui vel alimentum dilatans reſiſtit, vel inprimis aer de cibis extractus et a calore expanſus. Idem hic ſtimulum praebet, et ob hunc inter ſtricturas quascunque explicatum immenſae, cum ſummo dolore et cita morte, inteſtinorum fiunt diſtenſiones. Cedunt adeo retento et expanſo aeri inteſtina et diſtenduntur; et eſt flatus a debilitate inteſtini, ſed ea ipſa diſtenſio ſibi remedio eſt. Irritatae enim fibrae inteſtini in contractionem nituntur, cauſſamque ſtimulantem remouent, eſtque igitur perpetua lucta inter vim inteſtinorum contractilem et inter diſtendentem aerem. Si flatus loco aliam cauſſam irritantem, vt cibum bilemque poſueris, ſimilia omnino fient, et inteſtina in motum rapientur. Eiusmodi motus in viuis animalibus frequenter apparet, ac in morte et a morte ſupereſt, diciturque motus periſtalticus, qui ob multos et contrarios motus deſcriptu et obſeruatu difficilis eſt. Totum enim inteſtinorum agmen reptat, et ſecundum varios ductus attrahitur et conſtringitur paſſim et laxatur alibi, paucis, vtrumque genus fibrarum tum longitudinalium tum transuerſarum operatur, vt vna breuius fiat inteſtinum et arctius. Motus, qui deorſum ducit, periſtalticus verus dicitur, atque cibos promouet, nodos facit, per totum inteſtinum regnat, quod adeo contrahit, vt exigua cauitas ſuperſit. Quando autem ſurſum contra ventriculum redeunt inteſtina, antiperiſtalticus motus nuncupatur. Eius

directionis aliqua etiam cum perfectiſſimo motu periſtaltico miſcela eſt, neque vnquam longe aut aer procedit, aut cibus, quin aliquo vsque retrorſum redeant. Licet autem iſte motus cedat forte robore motui periſtaltico, tamen perinde totam inteſtini longitudinem percurrit, et de ipſo ano faecem per contraria coli et tenuium inteſtinorum volumina in ventriculum, porroque per os ipſum repellit. Naſcitur iſte a variis cauſis, cibum morantibus, quae vel in ipſo inteſtino, vel in corporibus, in inteſtino haerentibus, quaerendae ſunt. Inter mutationes, a motu inteſtinorum vtroque factas, ſunt introſuſceptio, appendix, reuolutio et erectio. Suſcipi dicitur inteſtinum, quando pars eius anguſtior in ambientem vndique proximi et laxioris inteſtini portionem ita ſubit, vt ſectio totius cylindri duos ſemicirculos exterioris inteſtini, cylindrum interioris inteſtini et interuallum contineat inter vtrumque inteſtinum. Non perinde certum eſt, quomodo appendix, frequens hoc inteſtini tenuis vitium, naſcatur. In inteſtini tenuis nimirum parte nouiſſima, quae ileum dicitur, valde frequens eſt, inteſtinum quidem cylindrum ſuum continuare, aliquando etiam ea parte foueam impreſſam gerere, inde vero appendicem breuem, tuberculi ſimilem exigere, longiorem ſenſim, demum cylindricam, vt ipſum inteſtinum eſt, ad rectum angulum de ileo exeuntem. Saepe eiusmodi appendix in herniam peritonaei ſubit et ſola comprimitur, dum princeps inteſtinum liberum ſupereſt. Ita poteſt et gangraena inteſtini ab hernia naſci, et tamen iter per inteſtinum ad anum patere. Apparet etiam eiusmodi appendix in inteſtino recto, ſed raro, et in colo, ac generatur, vbi laxata alicubi muſculoſa membrana aer et faex, a vicinis fibris transuerſis promota, incumbit in hanc partem minus reſiſtentem. Quod tandem

ad

ad reuolutionem inteſtini attinet, quae in inteſtino viui animalis diſſecto deprehenditur, hoc non manet, quale fuit, ſed reuoluitur et membrana intima ſiue villoſa vtrinque contra partem inteſtini integram redit, vt ipſa nunc villoſa tunica extimae loco ſit, et labia oris humani cuticula deſtituta aemuletur.

p. 98. Modus, quo cibus a ventriculo ad anum promouetur, ſequentibus a Noſtro deſcribitur. Contrahitur pylorus, qui cibi particulam in duodenum propellit; cumque ſuperior pars inteſtini omnibus computatis facilius conſtringatur, inferior minus fortiter, atque cedat adeo aduenienti aeri aut cibo, fiet vtique, vt poſt multas librationes et oſcillationes tandem omnis motus faecis et aeris in recti inteſtini finem ducat. Magis enim irritabilia ſunt prima inteſtina, et in quoque inteſtino pars ſuperior, quam inferior, mobilior eſt, et motus periſtalticus omnibus comparatis deorſum fortior. Quando itaque inteſtinum contrahitur, profundius intra maſſam cibariam valuulae ſe immittunt, ſeque chylo admouent, vna emunctae glandulae et compreſſa vaſcula exhalantia, ſudorem atque mucum effundunt, villi comprimuntur ſuumque chylum tradunt vaſculo lacteo proximo, porroque cum valuulae reditum denegent, verſus ductum thoracicum pergunt vrgere. Cauſſa motus periſtaltici, vt Noſter oſtendit, anima non eſt, ſed ſtimulus, qui ab oleoſis et pinguibus, cum irritabilem inteſtini naturam ſopiant, et a narcoticis minuitur vel tollitur. Stimulus vero inteſtinorum pene perpetuus aer eſt, quem deglutiuimus et cibi generarunt. Alter ſtimulus cibus eſt, qui vel mole ſua inteſtinum diſtendit, vel edito aere vel acrimonia aliqua ſollicitat. Tertium locum bilis obtinet, cyſtica potiſſimum, acris et ad ſuſcitandum inteſtini motum perapta. Horum vterque ſtimulus non eſt perpetuus, ſed poſt paſtum inprimis motum periſtal-

periſtalticum ciet. Reliqui ſtimuli habent aliquid morboſi et praeter naturam ſe admiſcent, exemplo ſint vermes et purgantia. Cauſſam motus inteſtinorum efficientem fibras transuerſas et longas eſſe, et transuerſarum officium pro principe habendum Noſter oſtendit. Transuerſae illas a ſtimulo contractiones, quae totius motus periſtaltici ſcaturigines ſunt, faciunt, cibum promouent, antiperiſtalticum quoque motum faciunt, fibris longis fundamentum praebent, ad quod ſe contrahunt et annulum faciunt. Fibrae longae inteſtinum breuius reddunt et contra partem contractam ducunt, inter nodos inteſtini faecem coaceruant, angulos inteſtini nodosque, conſtrictione ablata, explanant, tandem villos diducunt et laxant, vt in ampullam chylus ſubire poſſit. Itaque intelligitur, magnam eſſe motus periſtaltici vtilitatem; ſic cibus promouetur et comminuitur, bilis admiſcetur, valuulae intra caueam inteſtini educuntur, chylus recipitur et promouetur et acribus aſperisque cibis mucus et aquula obducitur. Licet autem motus antiperiſtalticus naturae deſtinato fini obſtare videatur, tamen ſumma eius eſt vtilitas. Ab eo enim mora naſcitur, vt lentius multo cibus iter ſuum abſoluat; plus patiatur tritus; plus admiſti recipiat humoris humani, diutius bilis vim ſoluentem experiatur et reſorptioni ſucci alibilis diutius ſe offerat.

Ad craſſa inteſtina accedit Noſter. Coecum in- p. 110.
teſtinum pleraque quadrupeda habent, omnia tamen animalia, quae aluo laxa ſunt, dicuntur aut coecum inteſtinum non habere, aut habere breuiſſimum. In rapacibus breuiſſimum eſt. Nonnulla duo coeca habent, vt aues herbiuorae, etiam aliquae carniuorae. Inter quadrupeda iis magna coeca ſunt, quibus dentes inciſorii longi. Animalibus carniuoris eadem, quae homini fabrica eſt. In limite coli cum

coeco

coeco celebris illa valuula eſt, quae in plurimis animalibus reperitur, tamen non in omnibus, vt in erinaceo, ſciuro, anate, columba etc. et ab iis inprimis videtur abeſſe, quae coecum inteſtinum nullum nacta ſunt. Inſignis autem huius valuulae eſt vtilitas. Sic enim aqua et inprimis ſcybala retinentur. Cum coeco cohaeret inteſtinum colon, quod homo adultus cellulatum et peramplum cum paucis animalibus iisque herbiuoris commune habet. Ab vltima lumborum vertebra et a flexu ſemilunari iliaco colon nunc in rectitudinem exporrectum deſcendit ſecundum os ſacrum, retrorſum in peluim, et ita finitur, vt tunica villoſa in epidermidem, nerueа in cutem abeat, muſculoſae fibrae transuerſae in ſphincterem terminentur, rectae vero circa eam ſedem albidae euaneſcant. Omnium horum inteſtinorum fabrica eadem fere eſt, quae tenuis inteſtini. Membrana extima a meſocolo oritur et peritonaeo; ſequitur celluloſa tela prima et poſt eam tunica carnea; hanc excipit tela celluloſa ſecunda, tunc tertia. Intima absque villis conſpicuis eſt; ſed rugis reticulatis, in recto inprimis inteſtino plena et eodem loco pertuſa poris mucoſis. Praeterea inteſtina haec et glandulas ſuas ſuaque vaſa tum arterioſa tum venoſa, etiam lactea et neruos habent, quorum ope ſenſus etiam ſatis acer in inteſtinis hic deprehenditur.

p. 169. Functio craſſi inteſtini ſpectat ad iter faecum, ad reſorptionem vtilis humoris, quae ex ipſis fit faecibus, ad earum demum expulſionem. Adulto ſanoque homini craſſae faeces ſunt, eſtque in iis deteſtabilis foetor, in quo vis putredinis a peculiari degeneratione, cuique animali propria, ita temperatur, vt cuique aliae faeces ſint, magis execrabiles in carniuoris et in ipſo homine, tolerabiliores in herbiuoris. Color flaui quid in ſano habet ab admiſta

miſta bile. Sapor dulcis ſeu potius fatuus dicitur. In faece variae materies v. g. fibrae carnium, ramenta corticum, ſtramina etc. ſuperſunt. Si chemice disquiritur faex, ea ex ruminantibus cum ſpiritu nitri efferueſcit, neutiquam faex humana. Halitus ſtercoris humani ignem obiectum concipit. Deſtillationi ſubiectae faeces aquam limpidam, foetore proprio humani ſtercoris impraegnatam, oleum, duplex quaſi, flauum primo, tum empyreumaticum, ſalem fixum nullum et terram praebent. Carbo ſtercoris vehementer ardet et cum alumine in pyrophorum abit. Faex aluina non vnice ex ciborum ſit reliquiis, multum accedit propriae humanaeque materiae; accedit bilis, cuius natura ea eſt, vt vehementer dureſcere apta ſit, tunc ſucci pancreatici pars terrea, in eo ſucco abundans, hinc calculorum inteſtinalium origo, quae vel huic ſucco vel inteſtinali exhalationi tribuenda eſt. Diuerſiſſimus a ſtercore ſuccus eſt, qui in vaſa lactea reſumitur, ſubacidae naturae, dulcis, inodorus, fluidus, verus chylus, a chylo tenuium non diuerſus. Cauſſa peculiaris indolis faecum princeps eſt putredo; ad quam aeque ac ad foetorem bilis confert; eadem cum muco faecem inſpiſſat, et exhalabile quoque illud arterioſum alcaleſcentis et viſcidulae indolis ad faecis foetorem et ſpiſſitatem videtur conferre. Praecipua tamen ſpiſſitatis faecum cauſſa eſt reſorptio, confert etiam abſtinentia a potu. Motus periſtalticus inteſtini craſſi fere eſt, qui in tenui inteſtino, tantum vt potentiores ſunt, fibrae, quae longitudinem inteſtini ſequuntur, ita maiores earum partes ſunt in promouenda faece. Ita alternis motibus, ſuperante motu, qui deorſum vrget, faeces poſt itus et reditus in rectum inteſtinum depelluntur. Motus enim diaphragmatis et muſculorum abdominis in promouenda faece parum poteſt. Flatus in inteſtino craſ-

ſo

ſo frequentes ſunt, cumque aeris congeſti vis inſignis eſſe ſoleat, ſaepiſſime ea funeſta nobis foret, niſi inteſtini vis contractilis eaque robuſta intercederet. Iter faecum in variis varium eſt: multum enim hic poteſt diuerſa irritabilitas hominum, bilis robur varium, aetas, conſuetudo; caeterum tarditas alui non infrequens malum eſt. Sic nonnullis aliquot diebus immo et aliquot menſibus aluus ſicca fuit. Cauſſa primaria alui ſegnis videtur eſſe diminuta irritabilitas; hinc inſolito addito ſtimulo purgantis medicamenti malum ſuperatur. Quod ad excretionem faecum attinet, irritatio et ſenſus inſeparabilis ad eam nos ſollicitat, quae tota voluntaria eſt. Is ſtimulus plerumque eſt in excrementis, mole aut acrimonia moleſtis. Credibile vero eſt ſphincterem internum multo vſu voluntarii ſphincteris extimi demum confirmari, vt ſolus officio ſuo ſufficiat; eſtque tanta vis ſphincteris vtriusque, vt contractio ſola fibrarum inteſtini recti in ſano homine ſphincterem vix vnquam ſuperet. Quare, vt moleſtia ſe liberet ſphincterque renitens ſuperetur, voluntas niſum edit; ita faex in ſphincteris rimam vrgetur, eamque paulatim dilatat, vt ſibi fiat via. Tandem de haemorrhoidibus quaedam Noſter addit, quae pro naturali et aetatis confirmatae innato praeſidio habentur. Licet autem ſanguis euentu minime malo, interdum ſalutari de inteſtinis exeat, et, cum venae portarum obſtructione oriantur, et ſic venae ad portas ducentes intumeſcant, ſanguine emiſſo varices hae ſubſideant, et vena portarum liberetur, tamen naturae opus non eſſe, neque ſani hominis functionem et triſte remedii genus eſſe, quod plerumque vires frangat, Ill. Auctor monet.

p. 198. Ad chylifera vaſa accedit Noſter. Haec non peculiare genus vaſorum eſſe, putat, ſed inter lymphatica valuuloſa numerat. Atque ei, qui inteſti-

norum

norum propria vaſa lymphatica a lacteis diſtincta putarunt ſe vidiſſe, ii, ſi viſa dixerunt, in exempla incidiſſe, Noſtro videntur, in quibus lympha ſedem lactis occupabat. Haec vaſa non a ventriculo, ſed a toto inteſtinorum tractu, a ieiuno plurima oriuntur. Tendunt ea ex celluloſa tertia, perforata neruea, per celluloſam ſecundam; perforant muſculoſam et in celluloſa prima iam valuuloſa apparent. Duae autem de quoque circulo inteſtini exeunt vaſculorum ſeries, anterior nempe et poſterior, et duo pariter per meſenterium recti pergunt ordines. Ea vaſcula alias ſocia vaſorum rubrorum ſunt, etiam duplicia ad vnum vas rubrum, alias ſolitaria. Multo, vaſis rubris, numeroſiora in truncos paulatim conſtuunt, variisque factis inſulis et anaſtomoſibus ita pergunt, donec ad glandulam aliquam meſenterii peruenerint, in qua anterior ordo cum poſteriori confunditur. Haec vaſa lactea primi generis ſunt. Non pauca tamen alba vaſcula eas glandulas praetereunt, vt ſecundi generis vaſa per primum genus repleri poſſint. Caeterum haec primi generis lactea vaſa de venoſo ſunt genere, numeroſioribus etiam valuulis interrumpuntur. Iterum lactea vaſa de glandulis naſcuntur, et in maiores truncos collecta pergunt continuo in ciſternam, pleraque in aliam glandulam, et ea, quae ſunt inter glandulam et glandulam, ſecundi generis vaſcula ſunt, quae ciſternae lumbari inſeruntur, quae eſt ampulla chylifera inſignis, ad vertebras lumborum ſita. Sed in nonnullis animalibus et magis adhuc in homine aliter ſaepe ciſterna ſe habet. Eſt enim vnice praegrandis ductus lymphaticus, vtrinque conicus et in medio latior. Alias non vnicum eſt vas, ſed duo, alias tria, denique in quibusdam corporibus, rarius quidem, loco receptaculi plexum innumerabilium vaſculorum conglutinatorum Ill. Auctor reperit. Ex ci-

ſterna chyli, quae duodecimam vertebram non ſuperat, adſcendit ductus chylifer aut thoracicus dictus, qui rectus per pectus adſcendit, pluribusque inſulis factis, ac in pectore et collo variis vaſis lymphaticis receptis, in collum adſcendit, fine ſuo aut ſimplici, aut duplici, interdum multiplici deſcendit, et in venam ſubclauiam ſiniſtram, rarius in dextram, interdum quoque in venam aliam, e. g. in venam fine pari, in cauam venam inferitur, cumque iſte ductus lymphae pariter vehendae deſtinetur, valuulas etiam habet, quarum praecipua eſt, quae praeſidet inſertioni ductus thoracici perpetua. Ab inteſtinis itaque per vaſa lactea ad glandulas, denique in ciſternam ac in ductum chyliferum adſcendit chylus, et celeriter quidem mouetur, a quo ductu in venam ſubclauiam et in cor per ſanguinem conſpicuus progreditur. Cauſſa motus chyli vera ea eſt, quae in tubis capillaribus operatur, velox nimirum attractio, eaque perpetua eſt, quamdiu oſtium lacteum in medium chylum mergitur, et progreditur tunc chylus ob inſitam vim contractilem vaſis lactei, ac huic poteſtati maximam partem itineris chyli Noſter tribuit, eandemque etiam vim contractilem fibrarum receptaculo chyli et ductui thoracico innatam eſſe, non repugnat. In viuo tamen homine aliam poteſtatem, e. g. preſſionem diaphragmatis, reſpirationis vim et aortae preſſionem accedere, ideoque diuerſas cauſſas motus chyli eſſe, concedit. Succum tandem ex arteriis in lactea vaſa transeuntem chylum per glandulas transeuntem diluere, probabile Noſtro videtur, in iisdem autem glandulis chylum vix accelerari, ſed lenteſcere potius eius motum, per ſanguinem diu circumfluere, tandem cum multo ſanguine circumductum paulatim in partes ſeparari et discedere, eiusque partes in ſanguinis humorumque maſſam abire, chylique officium

um in alendo corpore vniuerſo conſiſtere, oſtendit.

Vigeſimus ſextus liber de viis vrinariis, et primo de renibus agit. Reperiuntur iſti in quadrupedibus et cetis et auibus piſcibusque; ab inſectis tamen, vermibus, et teſtaceis abſunt. Poſiti ſunt ad vtrumque latus ſpinae dorſi. Menſurae incertae ſunt; non raro renes inaequales, alterque minor. Figura eorum in variis animalibus varia eſt. Et in homine et in plerisque animalibus ren, qui vnus videtur et numeratur, ex aliquot incerti numeri minoribus renibus componitur, magis tamen diſtincti ſunt in aliis animalibus lobuli. Cuilibet horum iterum ſuum infundibulum eſt papillaeque duae, et videtur primordialis fabrica in homine eſſe, quae in bobus, a preſſione vero abdominalium muſculorum renes ſenſim exaequari. Tunica renis non a peritonaeo naſcitur, ſed ex ſe ipſa exiſtit, et celluloſa, ſtricti generis ac ſimplex eſt. Interior natura renis in aliis et aliis animalibus alia eſt. In homine ren integer ex minoribus conſtat, ſiue tuberculis per celluloſam telam connexis. Cuiuis renculo duplex eſt caro: ambitum omnem tenet rubella aut flaua et mollis caro, inſigniter vaſculoſa et quaſi grumoſa, quae corticalis dicitur. Interior, ex omni ambitu de corticali carne naſcens, et in papillam abiens, ſtriata eſt et medullaris dicitur. Ex papillarum naſcentium ambitu oriuntur tot cylindri membranacei, quot ſunt papillae. In his ramis aut in exitu de rene connatis, aut poſt eum exitum peluis naſcitur, quae in medio latiſſima, ſenſim diminuta, in cylindricum canalem contrahitur, qui vreter dicitur. In vretere hominis aegre membranae diſtinguuntur, quas nimis ſtricta celluloſa tela vnit, neque muſculoſae fibrae oſtenduntur facile, et irritabilitatem veram non habet, ſenſum tamen habere creditur. p. 241.

Deſcendit iſte in pelui, ad ſodalem inclinatur et in veſicam absque valuula inferitur. Omnes iſtae partes vaſis tum arterioſis tum venoſis inſtructae ſunt. Licet autem ſatis numeroſi nerui circa renem ludant plexusque faciant, quibus vaſa renalia miris modis irretiuntur: ii tamen, qui ad ipſum renem veniunt, exigui ſunt. Hinc ſenſus renis exiguus eſt. Lymphatica vaſa non facile oſtenduntur. Fabrica renis intima quoad corticem vaſculoſa eſt; de glandulis renis dubitatur. Fabrica ſubtilior papillarum ex filis conſtat, quae columnae ſunt et faſciculi, in quorum quoque plurimi veri ductus vriniferi cum vaſis rubris et connectente vtraque celluloſa tela continentur. Summo et intimo reni impoſita corpora, glandulis acinoſa ſua fabrica adfinia, capſulae renales vocantur. Tunicae loco habent celluloſum tenue inuolucrum, a peritonaeo adipe interpoſito diſtinctum. Cauea intus eſt, in qua humor reperitur, in foetu albidus, in adulto ſanguineus, ab alcohole coagulabilis. Capſulae iſtae arterias et venas habent. Nerui quidem plurimi ad ea corpuſcula accedunt, an autem eius naturam ſubeant, Noſter non adfirmat. De ductu eorum excretorio dubitatur.

p. 296. Veſica in homine et quadrupedibus calidisue piſcibus reperiunda in pelui anteriorem ſedem tenet, et oſſibus pubis anterius nititur. In adulto figuram oui habet et in homine ampliſſima eſt. In hanc per duos vreteres vrina aduenit, exit eadem in foetu, neque penitus vnquam in adulto homine, per vrachum, longe plerumque tamen in homine in lucem edito per vrethram. Primum veſicae inuolucrum celluloſum eſt, quo ad omnes partes ambientes adhaeret. Sequitur muſculoſa tunica, quae cum ventriculo adfinitatem habet, et ex reticulatis lacertis conſtat; ab omnibus autem aliis folliculis in eo differt, quod interualla lacertorum maiora habeat. Hinc, cum

cum ea ſede vis contractilis minor ſit, quam in partibus, in quibus lacerti ſunt, fit valde frequenter, vt veſicae pars aliqua inter lacertos hiſcentes ad herniae modum extendatur, et in cellulam abeat, in qua non infrequenter calculus habitat. Aliae fibrae obliquae ſunt, inter rectas et tunicam nerueam mediae, quarum praecipua in veſica vis eſt. Eaedem enim, dum breuiores fiunt, veſicam ſecundum omnes directiones arctant. Irritabilis eſt veſica, eaque, vt extenditur, ita ad egeſtionem ſtimulatur, atque ſibi relicta contrahitur, et ſola lotium, in viuo animale vulnerata, proiicit. Inter muſculoſas fibras et nerueam tunicam celluloſa ſecunda eſt, quam excipit neruea, acerrime ſentiens. Haec ope celluloſae tertiae, quae breuis eſt, coniungitur cum intima, quae leuiſſima, muco perpetuo lubrica, tenuior quam neruea, epidermidis eſt propago. Muci, quo veſica intus oblinitur, fontes non ſunt facillimi oſtenſu et raro, veros tamen in conuexitate tunicae intimae folliculos ſimplices Noſter vidit. In veſica quoque pori inorganici ſunt, per quos quidem aer non penetrat, aqua vero facile permeat. Praeterea et arterias et venas et neruos et muſculos ad expellendam vrinam neceſſarios habet veſica.

Humor in rene generatus ac in veſica adſerua- p. 338.
tus lotium ſeu vrina vocatur, et ſemper alius et alius, atque in variis animalibus varius eſt. Alia eſt vrina potus, continuo a ſumto potu reddita, quae mera fere aqua eſt; alia eſt vrina chyli, hora vna alteraue poſt paſtum reddita, quae a cibis et ingeſtis ſaepe vitiatur; alia denique eſt vrina ſanguinis, quae pluribus poſt cibum potumue ſumtum horis mingitur, quae prioribus lotii ſpeciebus multo magis colorata, acris et foetida eſt, minus copia abundans. Color vrinae in homine flauet, eoque pallidior eſt, quo pauciores pulſus ſunt, eſtque iſte ex oleo. Calor idem

eſt, qui ſanguinis; pondus maius, quam aquae; minus quidem, quam ſaliua aut bilis cohaeret, glutinoſa tamen eſt. Odor recentis vrinae non ingratus eſt, facile tamen foetorem contrahit. In adultiori homine acris eſt, acrimonia tamen compoſitae indolis dicitur. Eminet in vrina ſal, qui ab ea ipſa nomen ſuum accepit; raro quidem ſigna dat indolis alcalinae, tamen ad alcalinam volatilem naturam inclinat acrimonia, ob quam vrina etiam ſaponis locum tenet. Et in hominis vrina et in ipſis animalibus, ſale muriatico vtentibus, euidentiſſima ſigna ſunt marini ſalis. Acor in recente et incorrupta vrina vix conſpicuus eſt. Vrina, mutationes ſpontaneas paſſa, ſedimentum, terram, oleum et ſales continet, tartarumque deponit, ſibique relicta primus omnium humorum putreſcit et alcalina fit. In vrina multus aer eſt, eaque igne disquiſita dat aquam, qua abacta, vrina melluginis ſpiſſitatem induit. Ex eiusmodi mellugine, frigido loco repoſita, ſecedit ad latera vaſis ſal natiuus lotii, mediae indolis, qui denuo ignis violentiae expoſitus ſpiritum igneum praebet. Relinquitur maſſa, quaſi vitrea. Dum ſal iſte generatur, decedunt ad vaſis fundum faeces ſubpingues, de quibus, abacto per ignem ſpiritu, ſale volatili et oleo, relinquitur aliquid cinerum ſimile, in quo terra eſt inſipida, et ex aqua, in qua cineres eloti ſunt, ſal marinus obtinetur, ac poſt generatum ſalem fuſilem, reſiduum aqua dilutum cryſtallos, ſali Glauberiano ſimiles, deponit. Porro ex mellugine deſtillata prodit ſpiritus vrinae alcalinus, ſal volatilis alcalinus, oleum, et inter diuerſi generis olea ſpiritus acidus. Ex lente putrefacto lotio, poſt abactos ſales oleumque, admixto ligni carbone paratur phoſphorus, in quo acidum vitriolicum, ſal communis, terra vitreſcens et materies inflammabilis reperitur. Ex carbone vrinae, quocunque modo parato,

rato, obtinetur ſal marinus. Vltimum elementum lotii eſt terrae ſeleniticum genus. His expoſitis, calculi hiſtoriam tradit Noſter, eumque in nonnullis regionibus e. g. Belgio, Anglia et Gallia frequentem eſſe, neque rarum in beſtiis, notat. Vim lapidescentem in teſtaceis animalibus abundare et calculi fundamentum in aqua quaerendum eſſe, ac per certos etiam morbos oſſium ipſorum cretaceam terram in vrinam redire, ab ea tamen omnem calculum non eſſe, et nonnullas aquas ad producendum calculum magis aptas reperiri, neque eas, quae lapidificae videantur, ſtatim calculum facere, monet. Porro materiem arenoſam ſanguini ineſſe, paſſimque in corpore vniuerſo oſſeas aut omnino lapideas cruſtas deponi, ac in variis etiam humoribus reperiri, et callos arteriarum flauos, pultaceos, inde duriores, denique oſſeos et lapideos, cum flauo pariter pultaceo humore, ſtrepero et manifeſto ad calculi naturam tendente, qui in ductibus vriniferis tenerorum infantum a Noſtro detectus eſt, ſummam adfinitatem habere, et in arthriticis atque podagricis hominibus materiem calcariam abundantem in ſanguine innatantem deprehenſam eſſe, oſtendit. Inde autem calculum ab arthritide et podagra naſci, colligit. Verum cum calculo viarum vrinae etiam calculus biliarius, vt Noſter obſeruat, coniungitur, et multas quoque corporis partes arenoſa materies obſidet, vt appareat, non adeo loci vitio fieri, quam humoris in ſanguine abundantis. Aliam itaque conditionem accedere debere, manifeſtum eſt, vt calculus in rene coaleſcat. Primum, quod requiritur, videtur eſſe quies et ſtagnatio; altera cauſſa eſt magnes quicunque, ſiue viſcidum in veſica inualeſcens, quod terreas particulas attrahit et retinet. Poſſit etiam excoriata et ſicca veſica, aut exulcerata caro renis, aut vrethrae caruncula, epidermide carens,

calculo pro fundamento esse. Porro, si corpus quodcunque extraneum, siccum neque humorem exhalans, in vesica vrinaria diutius retinetur, circa id corpus calculus colligitur. Id etiam in aliis cauis corporis praeter vesicam fieri, experientia docet. Si calculus disquiritur, multus aer, sed aqua panca reperitur; est sal volatilis multus, est vrinosus spiritus et aliqua particula olei. Calx minor est quarta parte calculi; salis fixi nihil inest, sed ferri aliquantum, neque tamen vllus acor. Soluitur in plurimis liquoribus calculus, dum diu et tepide cum iis digeritur, e. g. in aquis medicatis variis, in succis variis, in acidis alcalicisue liquoribus; soluitur etiam a medicamentis Stephanianis. Hoc vero medicamentum in vias vrinarias penetrare, et vrinam ab eius vsu lixiuiosam fieri, atque sic calculum minui, euidentia, vt Noster perhibet, testimonia persuadent.

p. 377. Vrina considerata, eiusdem iter a Nostro describitur, primoque demonstratur, princeps lotii colum renes esse, ac in istis solis vrinam percolari. Aliae viae, vt docet Noster, probabiles non sunt. Sufficit separandae vrinae copiosae sanguinis celeritas. Sed neque verum est, quod de subita mictione aquae dicitur. Nam non est ea vrina, quae ita subito mingitur, haec ipsa, quae nuper epota est aqua, sed vrina colorata foetida, quae dudum in vesica fuit: et hora demum fere exacta aquae potores limpidam vrinam deponunt, qualem fere aquam biberunt. Quod ad varia crassa et viis renalibus imparia corpora attinet, quae dicuntur per vrinam decessisse, in multis narrationes scriptorum, miracula amantium, nimiae sunt; in aliis potuit a rene ad intestinum colon et a vesica in rectum etiam facilius, vitio natus canalis adfuisse, qui eiusmodi corpora transmisit. Si aliqui adsumti liquores natiuas suas dotes nonnunquam in vrina retinuerunt, eadem etiam

etiam in ſanguine et inde nato ſudore et in tranſpiratione conſtantia fuit. Si aliquando rene ſuppurato vrina in veſicam percolata eſt, factum hic idem fuit, quod etiam in ventriculo, in viis ſudoris, in cerebri ventriculis vtique demum fit, quoties partes illae acres per legitimam viam deponi non potuerunt. Sanguis enim lotii characterem conſtituentibus particulis oneratus in omnia illa caua liquorem deponit, qui lotii eſt odore et colore. Itaque in rene vrina non naſcitur, ſed in vniuerſo ſanguine ex ipſa vi vitae oleum et ſal cum aqua iſta interteritur, vti in vrina eſt. Cum vrinae dotibus fabrica conuenit. Canales ſecretorii parui quidem ſunt, ſed inter maximos. Facilis eſt ergo via ex ſanguine in canalem ſecernentem: inde copioſa ſecretio et humoris non tenuiſſimi. Ne autem nimis facilis eſſet, natura cauit ſerpentina figura arteriolarum ſecretoriarum, quae moram aliquam faciat et in qua ſanguis vberius congeſtus multum poſſit ſibi loci parare. Ne nimis lentus eſſet motus renalis ſanguinis, addidit natura arterias magnas, ex proximo aortae trunco natas. Iterum, ne nimis craſſi humores per vaſcula vrinifera decederent, duriora ea natura fecit, quam vsquam alibi. Eundem, quem denſitas, effectum neruoſa conſtrictio edit. Vti vero neruorum in renes manifeſta eſt efficacia, ita renum in neruos. Menſura lotii variat eiusque copia per frigus maior eſt; in ſenibus et a multo potu multa, et adeo demum augetur, vt morboſa ſit affectio, qualis eſt diabetes. Ex renibus per vreteres in veſicam vrina deſcendit, in qua moratur, vsque dum veſica ſtimulata lotio ſe liberet. Nihil autem de veſica in vreteres redit, nihil etiam de vrethra effluit, licet naturalis ſit lotii via. Cauſſa non eſt in ſphincte re aliquo, qui voluntati obediat; ſphincter tamen non reiicitur. Pars itaque cauſſae Noſtro

quod veſica imo ſuo fundo ſub vrethrae exitum deſcendat, et eo magis deſcendat, atque in rectum inteſtinum nitatur, quo eſt plenior. Hinc ad ſitum primo, qui de fundo veſicae vetat vrinam exire, poſteaque ad ſphincterem attendit, qui voluntati non obnoxius ex natura ſua, a lotio irritatus, contrahat ſe et de ſuperiori veſica lotium non ſinat exire. Vrina ex rene tenuis nec acris deſcendit, in veſica autem lotii characterem induit. Copia eius aucta diſtenditur veſica et ſtimulatur; ita naſcitur voluntas vrinae reddendae, celerius ab vrina acriore et in veſica magis ſentiente atque excoriata. Quando homo ſtimulo nunc vult obſequi, et veſica lotio bene plena eſt, tunc incipit micturus ab inſpiratione. Primo guttae aliquae de veſica et vrethra exeunt; deinde magis et magis libero filo lotium proſilit. Reliquam mictionem ſola veſicae contractio perficit. Vtilitas mictionis eſt, vt primo nimia aquae parte ſanguis per vrinam expurgetur, deinde, vt terra alimentorum, vel de ſolidis corporis humani partibus detrita, excernatur, aliaque putrida euacuentur. Quod tandem ad capſularum renalium vtilitatem attinet, nihil vltra de his capſulis, quam ſuccum in ipſis ſeparari, qui ad foetus vitam magis, quam ad vitam adulti hominis neceſſarius ſit, Noſter aſſerit, atque ſub finem huius ſectionis figuram renis infantis adiectam explicat.

p. 410. Transeamus ad vigeſimum ſeptimum librum, qui de partibus genitalibus maſculis agit. Propagantur animalia maiora duorum ſexuum ope, maris et foeminae, ſimilium in vniuerſum in quaque ſpecie animalium, tantum vt mas ſemen emittat, quod ouis in foemina ſubnatis, aut intra corpus matris, aut ex eo effuſis, foecunditatem conciliat. Princeps ergo marium discrimen eſt, ſemen in ſe ipſis generare et effundere. Ad hoc ſemen generandum princeps

organon

organon teſtis eſt, qui duplex in homine adulto extra abdomen proprio ſacco, qui ſcrotum dicitur, continetur. Ab annulo muſculorum abdominis cylindrus celluloſus de celluloſo textu, exterius peritonaeo circumiecto, continuatur, qui tunica vaginalis dicitur, cui cremaſter muſculus exterius adhaeret, et qui teſti circumfunditur. Teſtis carni firmiter innata membrana ſolida, dura, vaſculoſa, cum vaginali tunica continuata, vocatur albuginea. In homine nonnullisque animalibus teſtis ex duabus partibus fit, teſte nimirum et epididymide, quae teſti adhaeret. Ex vaſis ſub imo rene faſciculus arteriarum, venarum plurimarum, neruorum, vaſorum lymphaticorum componitur, qui funiculus ſpermaticus vocatur, quiue ad ſedem annuli abdominalis veniens accedentem ex pelui ductum deferentem excipit, demum intra cellulas vaginales pergit ad teſtem vsque. In omnibus his partibus diuerſa reperiuntur vaſa, tam arterioſa, quam venoſa, etiam lymphatica et nerui. Remota tunica albuginea, caro teſtis disquiſita pulpam mollem et in lobulos diuiſam offert, qui ex filis intortis, ſerpentinis, mollibus, pertenera celluloſa tela inter ſe coniunctis, fiunt. Notanda praeterea ſunt vaſcula teſtis efferentia, quae ex vltimo fine epididymidis, quae ex vnico vaſculo conſtat, prodeunt. Is autem ductus, ab epididymide ad vrethram continuatus, ſeminalis ſeu deferens ductus nominatur, qui cum veſiculis ſeminalibus, inteſtinum coecum in glomerem conuolutum ſulcis et lineis diuiſum referentibus, imaeque parti veſicae vrinariae ſubiectis, coniungitur. Alius ductus pene ſemper ex veſiculae canali excretorio et ex deferente ductu communis efficitur, qui ſuo ſodali accumbit, et glandula proſtata tectus, ad vrethrae partem primam, quae in ea glandula continetur, eiusque faciem inferiorem venit. Proſtata in homine

homine et in nonnullis animalibus vnica, leui quodam ſulco diuiſa, reperitur, eaque eſt glandula, aut certe celluloſum compactum corpus, et partim vrethrae et veſicae, partim veſiculis ſubiicitur. Duae aliae glandulae prope angulum corporis cauernoſi penis pone bulbum vrethrae reperiuntur, quibus natura conglomerata eſt, loboſa, acinoſa, laxa, figura ſubrotunda, quarum ductus excretorius vnicus repit inter vrethrae membranas, et vltra roſtrum colliculi ſeminalis producitur. Vrethra communis ſemini et lotio via eſt, quae ab exitu veſicae incipit, et in fine penis in homine ac multis quadrupedibus aperitur. Notantur in ea tunicae, celluloſa et neruea, ſinus mucoſi, iſthmus, qui locus dicitur, vbi vrethra in proſtata et aliquo ante proſtatam ſpatio, praeter celluloſam aliquam fibroſamque telam, nuda eſt, tandem corpus cauernoſum. Potiſſimam autem molem et firmitatem peni dant corpora cauernoſa, quorum natura eſt ſacci, ex tenaciſſima celluloſa ſtipata facti. Haec corpora proprios ſuos muſculos habent, erectores dictos. Ad corpora cauernoſa et ad vrethram adnectitur cutis penis, et libera ſolaque vaginam, a glande diſſitam, efficit, in qua glans mobilis continetur, quaeque praeputium dicitur. Glans craſſius in homine additamentum eſt, in quo vrethrae oſtium reperitur. In hac cutis permollis et tenera et ſenſilis eſt, ſub qua tela celluloſa deprehenditur. Tandem in his partibus varia et permulta occurrunt vaſa, et arterioſa, et venoſa, etiam lymphatica et nerui, qui in pene inter omnes corporis humani partes ſenſum ſuo modo acerrimum efficiunt.

p. 517. Ad ſeminis explicationem progreditur Ill. Auctor. Iſte liquor albus eſt, aut alba potius opaca materie et commixta ſubpellucida miſcetur, tamen ſemipellucidus, eo magis, quo debilior homo et venus

nus frequentius repetita. Viſcoſus eſt humor ac glutinoſus, et pondere alios humores animales ſuperare dicitur. Odor ei peculiaris eſt, grauis et adeo penetrabilis, vt totam carnem animalis penetret et inutilem reddat ac foetidam Ita cerui caro veneris tempore foetet, et ſemen aphrodiſiacam virtutem exerceat. Admiſtis variis humoribus, e. g. alcohole vini, ſpiritu nitri, lixiuio alcalino etc. ſemen mutatur fere, vt mucus. In ſemine humano emiſſo, recente, aqua diluto, reperiuntur particulae, capite rotundo, cauda ad molem capitis exigua, quae animalcula ſpermatica vocantur. Haec, vt experimenta docent omnino, viua ſunt corpuſcula, non tamen in ſolo ſemine, ſed etiam in aliis humoribus, e. g. ſaliua, vrina, ſanguine etc. reperiri dicuntur. Num ſint primordia animalis? Seminis primo materies et ortus perpendantur. Prouenit ſemen ex ſanguine; videtur etiam chylus ad ſemen conferre. Animalia enim bene paſta ad venerem ſe accingunt, et abſtinent a venere, quando malignius paſcuntur. Varii autem ſunt liquores, qui ſemen componunt; primus eſt in teſte generatus, alter eſt veſicularum ſeminalium liquor, tertius ſuccus proſtaticus, vltimus nerueus liquor eſſe, dicitur. Nunc quaeritur, qui eorum humorum foecundet? In teſte verum ſemen generari, vel ex eo ſolo probatur, quod in omnibus animalibus, venere vtentibus, teſtes adſint; eorum autem multis aut proſtata nulla ſit, aut nulla veſicula ſeminalis.

Duplex eſt iter ſeminis: vel de corpore prodit, p. 544.
vel reſorbetur, et ad ſanguinem redit, ac tunc animalia maſcula foetore ſingulari per omnes carnes ſuas penetrantur, et ab eo videtur fieri, vt robur virile in homine et in maſculo animale augeatur, ſtimulo, vt videtur, addito, qui cor et reliqua organa motus irritet. Eo amiſſo animalia languent; hinc illa mi-

rifica

rifica caſtratorum hominum et animalium debilitatio. Eſt autem in hac vi incitante ſeminis quaedam mediocritas. Nimius enim ſtimulus nocet, et a proprii ſeminis vi homines venere abſtinentes nauſeam, triſtitiam, epilepſiam et mortem adeo paſſi eſſe, dicuntur. Cum ſeminis generatione coniunguntur partium in corpore humano et animali generationes et mutationes, quae a ſemine pendent; ſic barba prodit et pubes, et vox mutatur in mare raucitasque ſub pubertatis tempus obſeruatur. In animalibus cornua prodeunt; ſi enim ante cornuum exitum teſtes ablati fuerint, nulla vnquam cornua prodeunt. Si eo ipſo tempore, quo cornua erumpunt, teſtes amputati fuerint, cornua et deformia prodeunt et perpetua. Si poſt cornua enata ceruus virilitatem amiſerit, nunquam decident eadem. Ex his colligit Noſter, cor a ſanguine, acrimoniae alcaleſcentis participe, magis ſtimulatum, poſſe vt in febre pulſare vehementius, ſuccosque in vaſcula craſſos adigere, a quibus dilatentur et increſcant, ac ſic intelligi, vnde a ſemine reſorpto iſtae mutationes fiant. Verum non ad corpus ſolum redit ſemen, ſed extra corpus quoque egreditur. Secernitur ſemen ex arteriis vltimis teſtis, cum et eae ipſae admodum anguſtae ſint, lentam nunc ſeminis ſecretionem eſſe, probabile fit. Sunt tamen etiam contrariae cauſae, quae ſeminis generationem accelerant. Princeps eſt amor. Alii etiam ſtimuli ſeminis generationem augent, ipſa gonorrhoea, cibus plenior et nonnulli analogo ſeminis odore bulbi orchidum, tuberum, erucae, tum lacerti Aegyptii, idque genus alia. In animalibus poteſtas ciborum ad venerem ciendam et ad foecunditatem eſt euidentiſſima, vt viciae ſeminis in columbis, ſeminis cannabis in ouibus, in auiculis. Exit ſemen in epididymidem et ductum deferentem; ob innumerabiles

autem

autem anfractus conorum vaſculiferorum et epididymidis ipſiusque ductus deferentis, atque etiam ob anguſtiam eius canalis et adſcenſum, et ob viſcorem ipſius humoris lentus ſeminis motus eſt. Venit tunc in veſiculas, vbi diu adſeruatur, etiam perpetuo, et reſorbetur hic vapor ille, et ipſum ſemen in loco calente, qui inteſtinum rectum, putridis faecibus plenum, ſibi ſubiectum habeat, alcaleſcere et foetorem hic potiſſimum induere videtur. Quare adeo intermiſſa venere, ſemen maxime prolificum et certior foecundatio. Vt ſemen in veſiculas veniat, ſolae vires circumeuntium humorum et muſculorum quorundam ſufficiunt. Si autem a veſiculis in vterum progredi debeat, penis erectio requiritur. Princeps erectionis et naturae ſimillima cauſſa eſt in boni ſeminis copia, qua teſtes et veſiculae turgent. Altera cauſſa in ſano homine eſt imaginatio ſiue cupido veneris. Tertia cauſſa et potentiſſima eſt odor genitalium muliebrium ſui generis. Propius partes genitales ipſas adficit et excretionem extorquet, auget et perficit frictio glandis et potiſſimum colliculorum, qui ſunt ſub oſtio vrethrae. Quinta demum cauſſa eſt irritatio a veſica vrinaria, lotio plena, matutina. Aliae cauſſae naturales non ſunt; ſic irritatio ſenſilium organorum genitalium, fere quaecunque, etiam cum dolore coniuncta, erectionem ciet. Sed quaeritur, quaenam vera ſit cauſſa erectionis? Duplex ea Noſtro videtur, altera irritatio neruoſa eſt, aut in ipſis partibus genitalibus aut vicinis, aut etiam in remotis; altera vero ad iter ſanguinis ex pene reducis interceptum pertinet. Reditum autem ex corporibus cauernoſis impediunt non muſculi erectores, aut comprehenſae inter laqueos neruoſos venae, ſed ſanguis, qui maiori copia adfluit, quam redit. Inter cauſſas, quae ſemen ex veſiculis exprimunt, requiritur inprimis voluptas ad ſummum pro-

ducta

ducta, et conuulsiua quaedam neruorum contentio. Vno autem coitu veſiculae ſeminales non euacuantur, nam et ſecundus coitus in homine diu caſto pene aeque multum habet ſeminis, quam primus. Menſura tamen incerta eſt, et homo ex iis eſt animalibus, quibus ſemen parcius eſt et vis coeundi minima. Inter incommoda nimiae veneris eminet inprimis debilitas corporis, praecipue oculorum et tabes dorſalis, a qua ſyſtema neruorum frangitur, et inſignes noxae producuntur. Sed quaeritur, vtrum neruorum conuulſio periculum nimiae veneris faciat, an ſeminis emiſſio? Vtrumque nocere, tamen neruos potiſſimum pati, Noſter oſtendit. Vltimo de pubertate quaedam addit, ac poſt duodecimum annum ſeminis iam tantum generari dicit Noſter, vt ab ipſa natura per nocturna ludibria amandetur puer. Paulo poſt plenam iam eſſe ad venerem aptitudinem, iisque temporibus irritabilitatem maximam, ac poſt annum quadrageſimum ſenſim vim veneris in viris elanguere, neque tamen vllo modo naturam ſeni vetare patrem fieri, aſſerit, rectiusque facere, qui ſerius ad venerem accedunt, monet.

p. 1. Tomi ſeptimi pars poſterior muliebria pertractat. Differt foemina a viro, quod in iis partes omnes molliores, magis extenſiles magisque ſenſiles ſint. Duae ſunt foeminae humanae mammae, et in quauis papilla vna eminet, rugoſa et rimoſa, per irritationem eminens. Interior cutis facies laxatur ſenſim in laminas celluloſas. Plurimus ſub cute mammae adeps mollis deprehenditur, a quo princeps volumen mammae eſt. Glandula mammae vnica, vera conglomerata, in centro mammae eſt, in qua innumerabiles ductus excretorii reperiuntur. Hi in truncos coaleſcunt, qui anguſtiores ſunt, quando areolam mammae attingunt. Ex areola porro

in

in papillam ſubeunt, oſculaque habent exigua, per quae humorem ſuum euacuant. In hos ductus ab arteriis lac deponitur, quae vero radices ab adipe adueniunt, eas ex eius cellulis adipem aliquem ſorbere et cum lacte commiſcere, Noſtro probabile videtur. Quod ad papillam ſpectat, ea rugoſa eſt et reticulata, eademque irritando erigitur, extra vero tempus irritationis in ſe ipſam redit, vt omnia eius vaſa et nerui in plicas reducantur. Arteriae mammarum a coſtalibus et brachiali proueniunt, de iis autem, quae ex epigaſtrica arteria prouenire dicuntur, Noſter dubitat. Venae multo magis exiguae ſunt, nerui autem grandes, hinc acris mammarum ſenſus dicitur.

Ex papilla pueri, nuper in lucem editi, puellae- p. 16.
ue ſeroſus liquor exprimi poteſt, qui videtur natiuus humor et mammae proprius eſſe. Nihil tamen in vtrouis ſexu de mammis exit, neque mammae ante pubertatem intumeſcunt, neque in mammis caſtae virginis lac generatur. Id autem vt fiat ſtimulo aliquo opus eſt, qui in raris nonnullis exemplis ſuctio fuit. Repetita hac actione ex virginis mammis lac elicitur, vt non poſſit ex ſolo lacte de corrupta virginitate plenum iudicium ferri. Plerumque tamen et ex naturae lege lac tunc demum in muliebri corpore generatur, quando foetus aliquot menſibus in vtero increuit. A puerperio demum vera lactis in mammis naſcitur abundantia, quae tamen, niſi lactentis paruuli irritatio acceſſerit, euaneſcit deſinitque ſecerni. Eſt etiam neruis in lactis iter magna poteſtas; ſic a terrore et moerore ſaepe ſubito mammae ſiccantur, et lac noxium euadit; atque, ſi res ipſa vera eſt, videtur neruorum poteſtas noxium aliquem humorem, forte bilem, in lactifera vaſa admiſcuiſſe.

p. 20. Mammarum cum vtero conſenſus multis modis confirmatur; ſic mammae ſub pubertatis tempora creſcunt, et in grauidis foeminis lac in mammis incipit colligi, ac viciſſim mortuo foetu mammae dicuntur gracileſcere, et a ſuppreſſis ſubito menſibus mammae intumeſcunt, atque ſanguis per eas effluit, et menſes nimios admotae ad mammas cucurbitulae moderantur, denique lac ad vterum conuertitur. Cauſſa huius conſenſus a nonnullis in anaſtomoſibus quaeritur, cum vero inter epigaſtricas et mammarias exiguae ſint inoſculationes, dictam cauſſam Noſter non facile concedit, eamque potius in ſimilitudine ſucci vterini cum lacte quaerit. Verus nempe chylus eſt, qui in mammas decumbit, cumque inter vteri ſuccum et lac non obſcura ſit ſimilitudo, plerumque in vterum, tanquam in colum ſuo colo analogum, lac conuertitur. Alia denique mammarum cum vtero ſympathia in neruis eſt; ſic contactus papillarum libidinoſus inſuetis puellis ignículos mouet venereos. Patet itaque, vterum cum mammis connecti, et lac ex chylo eſſe. Huius, chyli nempe, maxima pars in mammas puerperae deponitur, neque tamen lac merus chylus eſt, ſed ad alimentum admiſcetur aliquid magis animale. Aceſcit lac, multarumque rerum ſaporem et vires remediorum retinet, ac aliud lac ab animali cibo, aliud a vegetabili eſt, atque ſic morbi a matre non alias transeunt. Lac humanum recens neque acidae naturae neque alcalinae indicia edit, ſibique relictum in acidam naturam tranſit, qua ſuperata, diutius retentum denique putreſcit. Adfuſo acido quocunque et ſpiritu ardente lac coagulatur, a ſale fixo leuiter cogitur, a volatili minus ſpiſſatur, a ſalibus mediis diluitur. In lacte volatile quid acidum eſt, quod exhalat, ſibique relictum in ſuperficie ſumma cremorem recipit; ſub quo ſerum eſt pingue cum

parte

parte grumoſa, caſeoſa miſtum, quae ſenſim decedit et fundum petit. Variat autem lac pro diuerſitate animalium. Ponderoſiſſimum eſt aſininum, ſequitur humanum, proximum ouillum, tunc vaccinum, inde equinum, leuiſſimum omnium caprillum eſt. Lac ouillum pinguiſſimum eſt, plurimumque habet caſei; aquae plurimum aſininum, minimumque pinguedinis et partium ſolidarum: humanum poſt id lac et aſininum ſuccedit aquae copia et paucitate caſei atque butyri. Soluit ergo et tenuius eſt aſininum et equinum, maxime alit humanum et ouillum. Per ignem lac disquiſitum aquam dat, ſpiritum acidum, oleum rubrum, pene nigrum, et carbonem, ex quo exuſto ſal fixus lixiuioſus obtinetur. Fermentatione ſpiritum inebriantem praebere dicitur. Seri pondus minus eſt, quam lactis, et ineſt ei glutinoſi quid et viſcidi; eſt etiam in eo ſalis genus proprium vere animale, quod cryſtallos dat albas, ſubflauas, dulces. Butyrum olei genus eſt, cum aquae portione commiſtum. In caſeo alia natura eſt et putredinem fouet, mirificamque tenacitatem habet. Quod ad lactis vtilitates ſpectat, primaria in nutriendis pueris conſiſtit, ſed etiam matri foetum ſuum nutrire multo praeſtabilius eſt. Ita enim et refluxus lactis in ſanguinem periculoſus et periculoſiſſimi illi in mammis ſcirrhi auertuntur. Et homini adulto, niſi vinoſo potu ventriculum nimis imbuerit, conuenit; facillime enim coquitur, bene alit, absque vllo malo per omnia diſtribuitur et motum ſanguinis contemperat. Eſt tamen in lacte quoque ſuum vitium. Debilitat adultum hominem, ventriculum obtundit, aluum alias nimis ſoluit, ſiccat alias, oblinitis inteſtinis, et in vniuerſum minus conuenit vinoſis et iis, quibus fibra debilis eſt et laxa. Poteſt etiam lac reſidere in primis viis et in coagula abire, etiam lapidea. Serum lactis tenuius eſt, mi-

nus habet olei, minus caſei, vt tamen alat. Ad acrimoniam calidam, ſcorbuticam, putridam aptius videtur, et facilius per organa excretoria tranſit, tantum quod lubricitate ſua ventriculum in multis aegris nimis deliniat, neque facile poſſit diuturnior vſus tolerari. Reliquae partes lactis minorem laudem merentur. Pinguedo enim et putrida natura caſei motum periſtalticum minuunt.

p. 45. Latius, quam mammae, regnat vterus, ſedetque iſte in pelui, quae a peritonaeo, quaſi ſepto aliquo, bipartitur et diuiditur. In foetu adſcendit ſupra peluis ſuperiorem ambitum et vna ouaria tubasque ſuas ilium oſſibus modice cauis imponit. In matura virgine vterus totus pelui continetur, et cum eo ovaria et tubae. Vterus vtique lagenae cuiusdam figuram imitatur, in qua et collum eſt et amplitudo, in quam collum expanditur; ceruix illud, hoc corpus vteri dicitur. In vtero cauea deprehenditur, non tamen inanis, quae fere triangularis eſt, et in grauiditate in rotundam mutatur. Alia cauea cum triangulari coniuncta ceruicis eſt, longa et ſatis cylindrica, quae ore terminatur anguſtiori, quod internum vteri vocatur, et in viua foemina clauditur. Membranam vterus non aliam habet praeter peritonaeum, quare anterius magna pars vteri eſt absque inuolucro. Vterus humanus ab omnium animalium vteris differt, et peculiarem materiem floccoſam habet celluloſam, ſtipatam, denſam, ſucculentam tamen et ſpongioſam. Craſſior etiam eſt, quam in vllo animali, non tamen vndique eadem eſt craſſities, quae ad medium fundum fere maior. Irritabilis eſt vterus et a partu contrahitur, et extra omne dubium fibras muſculoſas habet, quarum aliae, vt Noſter docet, latera ad ſe inuicem adducunt, transuerſae, et aliae ceruicem ad fundum attrahunt vterumque reddunt breuiorem. Membrana vteri intima

tima flocculenta eſt, non villoſa, et videtur, vt epidermis, ſenſu carere. Tota interior facies ceruicis vteri dura et calloſa eſt, et os vteri ipſum crenatum ac ferratum eſt intusque ſulcatum. In vtero humano duplicis generis humor reperitur; in corpore ſeroſus, ſubalbidus et turbidus tenuis humor eſt; alter eſt mucus ſaepe ſubruber, ceruicis vteri frequens hoſpes, et potiſſimum in grauidis foeminis abundans, totamque ceruicem replens. Vterini ſeri exhalabilis natura videtur, muci fontes ſunt lacunae et glandulae. Ceruici vteri adnaſcitur vagina, canalis cylindricus, virgini peranguſtus, qui poſt partum nunquam puellarem arctitudinem recuperat. Externam membranam nullam habet, et vaginae princeps natura eſt ex craſſa, celluloſa, ſtipata et extenſili tela, et fibras etiam carnoſas, contractiles habet. Poſt celluloſam telam membrana ſequitur nertea, cuius magna portio dura eſt et cartilaginea; intima manifeſto epidermis eſt. In adultae foeminae vagina verus mucus, et maculae, et pori, et ſinus, nullae vero glandulae a Noſtro repertae ſunt. Ad finem vaginae pudendum eſt, in quo inter alia, quae accurate hic deſcribuntur, clitoris et hymen notanda veniunt. Clitoris ſimilitudinem habet cum virili pene, crura, muſculos, glandem ſeu caput, praeputium, corpora cauernoſa, cuius pars exigua ſponte patet, maior latet. Senſus eius mire vehemens eſt, eiusque moles multo vſu augetur, ita ſaepe, vt ob hanc magnitudinem foeminae pro hermaphroditis habitae ſint, Ea, quod ſingulare videtur, in foetu trimeſtri et quadrimeſtri grandis eſt, et poſt eam aetatem iterum diminuitur. Sub clitoridis corpore ſupra vaginam vrethra eſt breuis, vnciali non longior. Ex ipſa continua vaginae carne, inferius et poſterius, lunata pariter in diductis partibus eſt membranula, ex epidermide facta, ſurſum caua, quae magnam

vaginae partem claudit. quaeque hymen dicitur, cuius praesentia, vt Noster putat, maritum de castitate sponsae facile conuincere potest. Ab vtero vtrinque canalis exit, qui tuba Fallopiana dicitur. Factus est ex duabus membranis, quarum interna longius procurrit, externa breuius terminatur, ac inter has duas membranas est aliquid cellulosi. Hic canalis inter duo folia ligamenti lati comprehenditur, et in vterum ostio paruo, setam tamen recipiente, aperitur. Circa ostium tubae, quod in cauum abdomen aperitur, interior membrana vltra exteriorem producitur, facitque laciniatum pene radiatum tubae ornamentum. In tubis mucus reperitur, qui humor exhalabilis esse Nostro videtur, cum vasculorum in tuba immensus sit numerus. Mutantur tubae a grauiditate, ita, vt multo inferius nunc de vtero prodeant, mutantur etiam morbose. Cum vtero ligamento connectitur vtrinque ouarium, quod de margine superiori ligamenti lati posterius, quam tuba cum ala vespertilionis antrorsum educta nectitur. Adultae foeminae dimidium ouum referunt, cuius anterior superficies et posterior peritonaeo obducitur. Interior eius fabrica, praeter oua et corpora lutea, nihil est nisi succulenta, laminosa, cellulosa tela, scirrhi non valde dissimilis. Oua, quae in homine in cellulosa natura ouarii reperiuntur, in omni fere animali visa sunt, quorum magnitudo vtcunque, non tamen perpetuo, molem animalis sequitur. In vetulis plerumque oua euanescunt, et eorum locum tubercula duriuscula tenent. Intus ouum leuissimum est, absque glandulis aut reticulo. Repletur idem humore limpido, aliquando rubello aut luteo, in alcohole ad ignem coagulabili. Praeter haec etiam hydatides in ouariis sunt, omni dote ouis similimae, eaeque enormem in molem abeunt, oui gallinacei, etiam multo maiorem.

Ligamen-

Ligamentum teres, vt Noſter oſtendit, minus bene hoc nomine inſignitur, nec ad firmandum vterum quidquam facit, ſiquidem vterus mobilis omnino eſt, et tumenti veſicae aut infarto inteſtino vltimo cedere debet. Vaſa, quae hic reperiuntur, arteriosa et venoſa, duplicis generis ſunt, alia ſpermatica, alia hypogaſtrica. Lymphatica Noſter in homine non vidit, in maioribus beſtiis tamen ab eo uiſa. Nerui copioſi hic occurrunt; hinc vterus et connexae cum vtero partes vehementis ſenſus ſunt.

Ad purgationem menſtruam accedimus. Menſes ſeu ſanguinis per vuluam expurgatio omni foeminae bene natae, rariſſimis exemplis exceptis, quam primum pubes prodit, ad initia vsque ſenectutis, poſt menſem ſolarem reuolutum, ex naturae lege ſuperuenit. Tempus vitae, quo manant menſes, eſt, vbi mammae ſurgunt, et pili in pube explicantur, et quando magnam incrementi partem virgo abſoluit. Circa quinquageſimum annum menſes omnino foeminas ſanas deſerunt, et vna foecunditas. Interdum tamen longiori tempore fluunt, et aliquae perpetuos menſes ad ſummam ſenectutem paſſae ſunt. In grauidis menſium neceſſitas interrumpitur, non tamen perpetuo. Sunt enim, quae per totam grauiditatem absque omni malo per vterum purgatae ſunt. Etiam lactantium menſes minus certo ſupprimuntur, neque etiam conceptionem lactatio impedit. Ante menſes conſtanter ſatis humor ſeroſus albicans effluit, tum ſanguis verus. Tempora incerta ſunt, in aliis tamen ſeptem et octo diebus, in aliis, vbi menſes celerius fluunt, periodicus ille fluxus triduo aut quatriduo durat. Sanguinis copia incerta eſt, eaque exhauſta, flumen ſiccatur. Septem vero aut octo in fluxu ſanguineo diebus conſumtis, viginti duobus aut tribus in quieto interuallo periodus menſtrua abſoluitur. Ita in ſobriis; in aliis tamen, ob p. 137.

alienos in vitae regimine mores, tempus redeuntium menſium praecipitatur aut retardatur. Sanguis menſtruus de ſana neque immunda foemina, rubore, calore, odoris abſentia, nihil ab alterius foeminae ſanguine differt, nec foetorem vllum oſtendit. De fonte menſium dudum diſputatum eſt; fuerunt, qui a vagina repetierunt; ſanguinem vero ex vagina fluere, potiſſimum, quando vtero impedito tamen cauſſa, menſes excitans, vrget, Ill. Auctor non negat, ſed viam tamen menſium principem per vterum eſſe, oſtendit. In vtero ipſo nulla pars eſt, quae menſtruum ſanguinem non fundat, etſi in fundo et in corpore abundius, quam in ceruice maculae reperiantur. Hunc ſanguinem ex venis fluere, probabile eſt; cum tamen facilius ſit, ſanguinis in arterias congeſtionem concipere, difficilius vero cauſſa inueniatur, quae ſanguinem in venis adeo potenter poſſit retinere, per arterias menſes expurgari, magis probabile videtur. Cauſſa menſium non facilis eſt; tres fere ſunt hypotheſes, lunae poteſtas, fermentum vterinum, plethora. Prima et ſecunda a Noſtro non admittitur; verae autem cauſſae tres ſunt; motus in ſanguine incitatus, ſanguinis maior copia in vniuerſo corpore, et ſanguinis ad vterum maior adfluxus. Menſes vero diminuunt et tardant ſanguinis motus retardatus, plethorae diminutio, demum ſanguinis ab vtero auerſio. Symptomata, quae menſibus ſuppreſſis ſuperueniunt, multa ſunt, et quidem mire varia, quorum alia ad vterum pertinent, in quo ſanguis reſidet; aliqua ad corruptionem peculiarem ſanguinis, quae ex ea ſuppreſſione naſcitur; aliqua in neruis ſedem ſuam habent: alia ad plethoram pertinent, quae ex menſibus ſuppreſſis naſcitur. Inprimis a ſuppreſſis menſibus haemorrhagiae ſuperueniunt et ſanguis retentus, qui venas opplet, per omnia corporis humani emunctoria

ria viam ſibi aperit. Omnia autem mala, a menſibus ſuppreſſis orta, iis reſtitutis, tolluntur. Quod ad theoriam fluxus ſanguinis menſtrui attinet, ad vaſa inprimis et plethoram reſpiciendum eſt. Arteriarum nimirum ad venas alia ratio in foeminis eſt. Robur nimirum arteriarum in iis minus eſt, quam in foeminis. Venae contra in foemina minus facile, quam in mare ab arterioſo ſanguine dilatantur, hinc duriores cenſendae ſunt. Ex his ſequitur, arterias in foeminis ſanguinem per venas minus poſſe propellere. Porro quoque verſus peluim arteriae maris indurantur, foeminae minus tenereſcunt, et arteriae inferiores in foemina ampliores fiunt, quam venae inferiores. Hinc ſanguis in foeminarum aortam inferiorem maiori celeritate aduenit, et ex arteriarum vltimis idem ſanguis per minores et denſiores pro portione venas difficilius redit. Hinc retinetur diutius in anguſtiis naſcentium venarum vteri. Perpendendum etiam eſt, in omnibus animalibus primo euolui vaſa ſuperiora, ſerius inferiora, per aetatem vero haec magis diſtendi. Quando nunc incrementum exiguum eſt, in vtroque ſexu oritur plethora, in foemina tamen magis. Quam primum vero vterus vel parum extendi poteſt, vel nihil, plethora in eo producitur et ſanguinis in vterum congeſtio; hinc menſes erumpunt. In beſtiis ſanguinis facilius in peluis arterias iter ad diſtenſionem vteri et foetus incrementum pertinere videtur. In viris arteriae duriores, venae molliores ſunt, hinc facilior ſanguinis per minima tranſitus; cumque nullum in iisdem viſcus ſit, quod magnorum vaſorum copia inſtruatur, ſanguis etiam nullus colligitur. In foeminis grauidis vterum placenta occupat, quae arteriarum fines ſibi implantatos accipit, praeterea foetus ſubnaſcens plethoram vterinam in ſuum incrementum conuertit. In foeminis lactantibus la-

ſtis vberrima ſecretio magnam vim chyli conſumit. In vetulis vteri arteriae duriores negant extendi, et impulſo a corde ſanguini firmius reſiſtunt. Hinc ob has rationes beſtiis, viris, grauidis, lactantibus et vetulis menſtrua proprie nulla. Si autem requiras, cur menſtrua plethora magis, quam alia quacunque periodo naſcatur et per vterum expurgetur, cauſſa certe dari accurata non poteſt. Plethoram autem in foeminis natura fecit, vt ſuo tempore eo in viſcere foret parata opportunitas ſanguini, quem vberius in foetum oportebat transmitti. Altera ſecundaria vtilitas ad plethorae expurgationem pertinet, qua vero natura foeminarum carere potuiſſet, niſi ad foetum alendum requireretur.

VI.

IACOBI WERNISCHECK, Phil. et Med. Doct. Genera plantarum, ad facilius conſequendam earum notitiam, ſecundum numerum laciniarum corollae diſpoſita. Vindobonae, typis I. Th. de Trattner, 1764. 8 mai. Alph. 1. pl. 5½.

Varia a diuerſis hinc temporibus experta fuiſſe fata plantae floris partes, et in condendis ſyſtematibus nunc hanc, nunc illam, principem obtinuiſſe locum, rei herbariae cultoribus notiſſima res eſt. Ex nulla vero hoc aeque, ac inprimis praeterito ſeculo magis characteres pro definiendis generibus deſumti fuerunt, quam ex corolla, et certe, licet reliquae partes, et praecipue ſtamina, ad methodum concinnandam commode adhiberi poſſint, tamen corollam pro faciliori aſſequendae cognitionis indice haberi, et reliquis praeferri debere, multi, et inter eos quoque Cel. WERNISCHECK exiſtimarunt.

runt. Hic enim ex corollae limbo, eiusque laciniarum numero genera plantarum, nouo quadantenus modo, ordinauit et viginti classes inde constituit. Quo itaque haec dispositionis ratio eo perfectius appareat, fundamenta, a quibus desumta fuit, annotemus.

Quatuor modis differunt plantae ratione petalorum.

Planta enim est vel *petalodes* vel *apetala*, et *petalum* est aut *solitarium*, idque vel *simplex*, vel *compositum*, aut *simul plura* adsunt *petala*. *Petalum solitarium simplex*, siue *flores corolla monopetala simplici*, ratione limbi quinque exhibent classes. Scilicet *prima* erit, vbi *limbus duo quodammodo labia* efformat, labiati et personati alias dicti; *secunda*, vbi *limbus in quatuor*, *tertia* vbi *in quinque*, *quarta*, vbi *in sex lacinias* potius, quam labia diuiditur, et *quinta* eos monopetalos reliquos continet, ad nullam commemoratarum classium reducendos, *corolla integra*, *vnilabiata*, *in tres*, *aut in plures*, *quam sex lacinias* diuisa instructos. *Petalum solitarium compositum*, siue *flores monopetali compositi*, *tres*, vt ab aliis etiam plerumque corollistis receptum fuit, constituunt classes. *Sexta* scilicet in ordine erit, vbi *limbus omnium corollarum est subaequalis*, *flores compositi tubulosi*; *septima*, vbi *omnes in ligulam longam extrorsum patentem* abeunt, *ligulati*; *octaua*, vbi *interiores limbum habent subaequalem*, *exteriores vero ligulam*, *radiati* dicti. *Petala plura* simul si adsunt, siue *flores polypetali*, *octo* formant classes. *Nona* enim comprehendit *flores petalis* 2, 4 et 8 instructos, quos omnes ob mutuam affinitatem in vnam hanc coniiciendos censuit Auctor, exemptis modo a TOURNEFORTIO dictis *cruciformibus*, qui *decimam* constituunt. *Vndecima* sistit flores pariter affines, *petalis* 3 *et* 6; *duodecima petalis* 5 *et* 10 praeditos; separatim

iterum

iterum conſeruatis *vmbellatis in decima tertia*, et *papilionaceis* in *decima quarta* recenſitis. *Decima quinta* eos exhibet flores, in reliquis polypetalorum claſſibus non commemorandos, exules quaſi factos, plerumque numero petalorum variantes et *decem ſtaminibus plura ferentes*, exceptis *columniferis*, in *decimam ſextam* reductis. *Apetalae* plantae duplicem inprimis cohortem efficiunt; earum enim *perianthium* ita aliquando *coloratum* eſt, vt dubium videatur, vtrum corolla, an re ipſa perianthium dici debeat: quae itaque *perianthium corolliforme* ſiue *calycem corollinum* gerunt, *decima ſeptima*, quibus vero *perianthium rude aut prorſus nullum eſt*, *decima octaua* fulcit claſſis. Accedit *decima nona graminum cum affinibus*, et filices, algae ac reliquae *clandeſtini floris* nomine *vigeſimam* denique exhibent.

Haec eſt claſſium ſumma diſpoſitio, in ordinibus autem, diuiſionibus et ſubdiuiſionibus varios quidem characteres adhibuit, et nunc ad hanc, nunc ad aliam fructificationis partem primario vel ſecundario reſpexit, attamen plerumque ouarium ſeu germen, eiusque ſtylos, primum, deinde calicem ſeu perianthium, corollae ſitum ſuperum vel inferum, et vltimo frequentiſſime loco ſtamina eorumque numerum in auxilium duxit, exinde vlteriores diuiſiones ordinauit, generaque repoſuit. Cum vero genus aliquando ſpecies comprehendat, quae laciniarum corollae numero, vel figura inter ſe differunt, methodi leges ſtricte obſeruans Cl. Auctor, in diuerſis claſſibus vel ordinibus eiusmodi repoſuit, idemque genus repetiit quidem, vnica autem vice tantum numerauit, et ſic genera 1187 nominauit et definitionibus ſuis deſcripſit. In his denominandis definiendisque vbique fere LINNAEUM ſequutus eſt, nonnulla tamen ſunt genera, quae Illuſtris ille Vir vel perpetuo ad alia amandauit, vel antea a ſe ipſo condita,

condita, ad alia poſtea reiecit, a Cl. Auctore ſeparatim propoſita, eruntque forte ſequentia: *Paederota*, *Heiſteria*, *Bartramia*, *Anacampſeros*, *Cimicifuga* LINNAEI, *Cardiaca*, *Liliaſtrum*, *Dorycnium* TOURNEFORTII, *Pauia* BOERHAAVII, *Vnifolium* RUPPII, *Hepatica* DILLENII, *Ornus* PONTEDERAE, *Chloroxylum*, *Zoophthalmum*, *et Galartia* BROWNII. At, licet his ſeorſim conſeruatis, numerus tamen generum, comparatione cum generibus a LINNAEO enumeratis inſtituta, imminutus adparet, et, vt nobis videtur, ſyſtematis naturae modo decimam, non vero generum ſextam editionem vidit et adhibuit Cl. Auctor, hinc ea, quae IACQUINUS, et ipſe LINNAEUS recentiſſimo hoc tempore propoſuerunt genera, deficiunt plurima. Definitiones generum duplici ratione exhibuit, primo enim genera claſſis cuiuslibet methodo tabulari recenſuit, et nonnullis characteribus notatis diſtinxit, deinde vero pleniorem definitionem expoſuit, quae omnes accuratae ſunt, omnesque ex flore et fructu deſumendos characteres continent; de quibus itaque nihil monere debemus, ſed in notato methodi fundamento acquieſcamus.

VII. Ouvra-

VII.

Ouvrage touchant les Hernies ou deſcentes, diviſé en deux Parties. Par Mr. DEIAN, Maitre en Chirurgie. a Paris chès I. Lamesle, 1762. in 12. pag. 345.

i. e.

Opus de herniis in duas partes diuiſum. Auctore Cl. DEIAN.

Cl. DEIAN, qui eam potiſſimum chirurgiae partem exercere videtur, quae hernias tractat, hoc opus in duas partes diuiſit. Atque in earum prima de methodo disputat faciendi plenariam herniarum curationem et cauendi ſibi a damnis, quae ex neglectu huius morbi prouenire ſolent; in altera vero ea remedia indicat, quae hernia incarcerata facta ad aegri ſanationem adhibenda ſunt. Cum vero prima huius libri pars conſcripta ſit maxime in vſum eorum aegrotorum, qui in agris et a chirurgis in arte ſua expertis remoti viuunt, in eo potiſſimum Cl.
p. 1. DEIAN operam poſuit, vt aegros ipſos doceat, quomodo faſciarum, quibus herniae repoſitae continentur, menſuram ſumere, herniam reponere, faſcias applicare, et incommoda, quae faſciae afferre ſolent, vitare poſſint. Attamen in huius tractationis ſerie non tantum continentur herniae proprie ſic dictae, ſed agit etiam Cl. Auctor de prolapſu vteri et inteſtini recti, et ea, quae de his morbis annotanda
p. 65. ſunt, explicat. Plenariam herniae inteſtinalis curationem faſciarum rite et per longum tempus applicatarum ope obtineri poſſe, exemplo hic confirmatur.

p. 76. Altera huius operis pars, quae propius ad nos ſpectat, agit de curatione herniarum incarceratarum. Cauſſa

Cauſſa incarcerationis herniae inteſtinalis poſita eſt in expanſione inteſtini per annuli aperturam progreſſi, non vero in contractione aliqua aut inflammatione annuli ipſius. Omnem medicamentorum vſum, cuiuscunque generis ſint, purgantium, quae SHARPIUS quodammodo concedere videtur, atque inprimis oleoſorum, reiicit. Ea enim non ſolum vomitum augent, ſed etiam, cum in eiusmodi aegris nihil ex canali alimentorum reſorbeatur, inteſtinum ſupra incarcerationis locum quam maxime expandunt, vt ſaccum illud referat, qui non modo reductionem et repoſitionem inteſtini impedit, ſed etiam vim contractionis eius tollit, et rupturae occaſionem dare poteſt. Cibi loco nil niſi iuſcula tenuia Noſter concedit, quo fauces tantum et oeſophagus aliquo modo humectentur, repudiantur autem ab eo omnia ſolidiora alimenta, cum periculum, quod hernia incarcerata adfert, ſemper aut augeatur, aut minuatur, pro modo alimentorum ab aegro breui antea ſumtorum. Seruet autem aeger ſemper eum ſitum, vt lumbi altius poſiti ſint trunco corporis. In taxi inſtituenda cogebatur Cl. Auctor, eam inteſtinorum partem primo reducere, quae prima progreſſa erat ex annulo, vltimo vero eam, quae vltimo proceſſerat, quod, vti notum eſt, praeceptis, quae vulgo dantur, plane repugnat. In repoſitione herniarum recentium nonnunquam vis aliqua adhibenda eſt, ea enim vſurpata, ſaepe eiusmodi herniae facillime reponi poſſunt, quae ſi non vi retorqueantur, maximum aegroto vitae periculum attuliſſent. Venaeſectiones crebrius adhibendae ſunt, eo caſu excepto, vbi hernia poſt cibum copioſius ſumtum illico accidit, vbi ſemper exſpectandum eſt, donec omnis cibus vomitu ſit reiectus, ne digeſtionis vires nimium debilitentur. Ex numero topicorum, vulgo ab Auctoribus laudatorum, aquam frigidam glaciemque

p. 84.

p. 109.

p. 124.

ciemque plane reiicit, ac pariter clysmatum vſum non probat. Contendit enim, ea ideo eſſe nociua, quia ſemper in eorum applicatione aeger in talem ſitum redigendus eſt, qui regreſſui inteſtinorum plane eſt contrarius, deinde, quia inteſtina per liquores iniectos diſtenta regreſſui inteſtini obicem ponunt, tandemque, quia ſtimulus et nixus per clysma excitati ſemper ſymptomata augent. Quae enim in eiusmodi aegris poſt enematis applicationem progrediuntur faeces, ea regurgitant tantum, non per inteſtinorum motum aut aliam vim extra corpus propelluntur. Cum enim ex Noſtri ſententia potiſſimum aer atmoſphaericus, in canalem inteſtinorum receptus, cibos propellat, hac aeris vi impedita, per incarcerationem factam in ſuperiore loco nil
p. 145. ciborum aut faecum amplius progredi poteſt. Accedit tandem Cl. Auctor ad bubonoceles operationem. Tempus eam inſtituendi definitur ex aetate temperamentoque aegroti, pulſu, loco herniae, ſtatu inteſtinorum et ventriculi eo tempore, quo hernia incarcerata facta eſt, ex vi et tentaminibus ad reducendam herniam factis, tandemque ex grauitate ſymptomatum. In aetate prouectioribus et in iis, qui tenerioris habitus ſunt, tertium diem exſpectat, cum in iis inflammationis periculum non tantum, annulique apertura laxior ſit, faciliusque cedat. Quae in ſiniſtro latere occurrunt herniae, eae celerius operationem exigunt, quam quae in dextro ſunt, cum vtplurimum inteſtinum ileum eas ſolum formet, herniaque ſemper eo maius adferat periculum, quo propior pars inteſtini incarcerata ſit ventriculo. Si ſymptomata vrgent, ſaepe operatio iam 12 aut 15 hora poſt incarcerationem inſtituenda eſt. Ex cautelis vero in ipſa operatione adhibendis, quas Cl.
p. 170. DEIAN adducit, ſequentes adnotaſſe ſufficiat. Folia celluloſa ſacci herniae non vnum poſt alterum reſcin-

reſcindenda ſunt, ſed inciſio ſacci ſcalpelli ope in vno tantum loco inſtituatur, reliqua pars autem forficis ope aperiatur. Dilatatio annuli quam proxime ad os pubis fiat, quo vaſis ſpermaticis parcatur. Inciſionem vero annuli Cl. DEIAN ita inſtituit, vt primo ſcalpellum in abdominis cauitatem immittat, et carnes, attracta ſenſim ad ſe manu, ab interioribus verſus exteriora discindat. Annulum ſemper, quamuis etiam inteſtinum gangraena ſit affectum, dilatat, quo maior inteſtini portio egrediatur, vt eo melius de gangraena iudicare poſſit. Inteſtini vero gangraenoſi regreſſus optime filo per meſenterium tracto, cuius fines exterius ſeruentur, impeditur. Nonnunquam in corporibus ſiccioribus, in quibus nulla aqua in ſacci cauitate continetur, annuli dilatatio, ne inteſtina laedantur, intra ſaccum et annulum inſtituenda eſt. Minime neceſſarium eſt, vti tamen multi volunt, in herniis maioribus ſaccum, quo puris in fine inferiore collectio vitetur, ad imum vsque fundum aperire, cum idem facile ſitu ſcroti in vulneris deligatione impediri poſſit. Omenti partem, quae in hernia eſt, ſemper Cl. Auctor ligatu- p. 180.
ra proxime ad annulum facta aufert, ſiue ea ſana ſit, ſiue morboſa, et aſſerit, nullam inde tenſionem extimeſcendam eſſe, licet margini vulneris accreſcat, niſi in eo caſu, vbi cum inteſtino iam ante operationem concreuerat. Atque hac cautione adhibita, hernia compoſita in ſimplicem mutatur, et inteſtinum, apertura herniae ex parte per cicatricem omenti obturata, facillime nunc continetur. Aegri ſitus poſt operationem ita mutandus eſt, vt lumbi trunco humiliores ſint, ne inteſtini portio, quae in hernia fuerat, ab apertura ſecedat, pus vero facilius effluat, inteſtinum vulneris labiis adhaereat, vt in caſu rupturae eius faeces egredi poſſint. Lenia purgantia etiam poſt operationem tantum vſum adferunt,

quantum ante eam damnum. Quodſi in infantibus integumenta paullulum ſuper vmbilicum producuntur, quod, vti notum eſt, herniae vmbilicalis cauſſa eſſe ſolet, excedentem integumentorum partem ligatura auferre Noſter iubet. Quae enim per faſcias fit curatio, ea neque tam celeriter fit, neque tam certam curationem promittit.

Sequuntur variae obſeruationes operationum a Cl. Auctore factarum. Inteſtinum poſt operationem ruptum, cum in ambitu ſuo vulneris margini iam accretum eſſet, mediante faſcia tortili compreſſit, faecesque hac ratione ad anum determinauit. Scirrhum matricis vapore aquae calidae et applicatione vnguenti Neapolitani ad matricis orificium ſa-
p. 180. nauit. Plenariam herniae omenti curationem nonnunquam obtinuit hac ratione, vt aegrum iuberet per longum tempus in dorſo cubare, atque interea ei parum nutrimenti praeberet.

VIII.

B. S. ALBINI Academicarum adnotationum Liber ſextus. Continet phyſiologica, anatomica, pathologica, phytotomica. Leidae apud I. H. Verbeek. 1764. 4. pl. 22. tab. aen. 4.

p. 3. Primum huius libri caput pertinet tum ad oſſium generationem in vniuerſum, cum in ſpecie ad ſententiam a Cl. DU HAMEL propoſitam, os ex periosteo indurato fieri. Collegit autem Ill. Auctor primo ea omnia, quae hac de re dicta ſunt in variis locis commentariorum, ſuper hoc argumento a Cl. DU HAMEL editorum, e quibus omnibus apparet, putare eum: *craſſeſcere os ſuperadditione lamellarum periofiei, quae ſe vertant in os aliae poſt alias, atque ipſam*

ipſam quoque cartilaginem perioſteum eſſe. Hoc vero Ill. ALBINUS ita negat, vt doceat, os omnino ex cartilagine aut in ea naſci, non ex perioſteo, neque callum eadem ratione fieri ex perioſteo indurato, neque hoc probari poſſe ex eo, quod perioſteum circa callum intumeſcat. Omnes enim partes, quae circa locum fracti oſſis ſunt, craſſiores fiunt et ſaepe occalleſcunt, aut euaneſcunt, mutata vel deleta eorum natura. Id quod exemplo brachialis nerui hic p. 23. probatur, quem aliquando Noſter tumori oſſeo, poſt ſanationem fracti oſſis relicto, ita inſertum vidit, vt in eo quaſi euaneſceret, ac poſtea iterum de nouo exoriretur, nullo eiusdem in intermedia parte indicio relicto. Negatur porro, in animalibus iunioribus lamellas perioſtei perſaepe reperiri, quae ex vna parte oſſeam, ex altera membranaceam naturam habeant, et probatur, cartilagines obtinere naturam a perioſteo, cui tamen arcte adhaerent, plane diuerſam. Neque hoc verum eſt, cohaerere epiphyſes in animalibus iunioribus cum corpore oſſis tantum ope perioſtei. Eo enim ablato, ſine eius adminiculo tamen oſſibus adhaerent, ope ſcilicet cartilaginei cuiusdam glutinis, ſenſim tandem in os transeuntis.

In ſecundo capite continentur quaedam de pri- p. 35. ma oſſium natura disceptationes. Defendit autem ſe Ill. Auctor potiſſimum contra beat. noſtrum PLATNERUM, Ill. HALLERUM et Cl. FOUGEROUX, qui ſcilicet Cl. Viri putarunt, ALBINUM oſſium generationem tribuere coagulationi et indurationi oſſei cuiusdam ſucci.: oſtendit autem Noſter, ſe tale quid nunquam docuiſſe.

Tertio capite mirum oculorum vitium in puero p. 49. deſcribitur. Cornea vtriusque oculi non rotunda, ſed ouata erat, per altitudinem longior. Vuea ab inferiore et interiore parte quinta circiter ampli-

tudinis ſuae parte deminuta erat, locus vero, vbi ea deficiebat, nigrum oſtendebat colorem, attamen in vniuerſum pupillae ora rotunditatem ſuam conſeruabat, ipſam ea ſe conſueto more contrahere et dilatare valebat. Quod vero ad aegrum attinet, ille a luce aegrius afficiebatur, atque tantum res propius oculis admotas videbat. Poſt paucos annos tota pupilla album, locus vero, vbi ea deficiebat, ſubcoeruleum colorem acquiſiuit, aegro viſus facultatem plane amittente.

p. 50. Aliud eiusmodi fere vitium natum erat ex vulnere, oculo per globum minorem plumbeum inflicto. In hoc aegro, cicatrice naſcente, vuea ſenſim ad cicatricis locum attrahebatur, viſusque tandem plane

p. 51. peribat. Quinto capite bulbus racemi Muſae deſcribitur. Sexto capite diſputatur de natura cluorum pedis, atque oſtenditur, eos, cuticula detracta, cum ea quoque abscedere, ſola cuticulae parte

52. in clauum mutata. Clauus vero interius concus eſt, extremo ſuo laeui et reticulo deſtituto et quaſi corneo. Qui vero circa conum illum ſinus eſt, ille reticulo tegitur, foueasque oſtendit, maiores tantum redditas. Cutis clauo ſubiecta in foueam, quae infundibuli formam habet, quaſi depreſſa eſt, et cono claui reſpondet. In eius autem ambitu papillas habet, maiores redditas, quarum contra nullae in imo foueae deſcriptae fundo reperiuntur. Vaſis materia ceracea repletis, cutis in loco clauo maxime rubebat, imo foueae fundo excepto, vbi ſcilicet vaſa a corneolo claui mucrone compreſſa erant. Similem fere fabricam oſtenderunt quoque clauo latiores, ex planta pedis deſumti, et ab Ill. ALBINO examinati.

p. 55. Septimum caput pertinet ad icones cartilaginum auriculae, hic exhibitas, quae ab iis, quas Ill. Auctor antea in tabulis muſculorum dedit, in eo differunt,

ferunt, quod muſculi hic ademti ſint, vt omnia melius conſpici queant. Ex nuper nato villoſa tuni- p. 56.
ca inteſtinorum tenuium et craſſorum depingitur, quo diuerſitas fabricae eo melius appareat. Si interna craſſorum inteſtinorum tunica detrahitur, glandulosa corpuſcula in neruea vt plurimum relinquuntur, quae contra in tenuibus cum villoſa abscedunt.

Nono capite radices pilorum, vaginae a cuticu- p. 57
la ad pilorum bulbum deſcendentes, cutisque humanae pori deſcribuntur. In omni cutis poro pilus eſt, atque vbi nulli pili ſunt, ibi quoque nulli inueniuntur pori. Ex iis vero, quae in hoc et ſequente capite proponuntur, multa iam ab Ill. ALBINI diſcipulis, Cl. SACRELAIRE et KAUUIO, in eius ſcholis accepta, antea diuulgata fuerunt.

Disputatur autem in decimo capite de papillis p. 62.
cutis, atque ex iis illa potiſſimum deſcribitur ſpecies, quae in volis et plantis ac reſpondentibus digitorum partibus inueniuntur. Conſtant autem eae ex plurimis filis, aliis iuxta alia per latitudinem poſitis, extremis ſuis veluti in vnum collectis. Cute brachii impleta alba liquoris colorati pars exſudauit, rubra parte in vaſis relicta. Suſpicatur vero Ill. Auctor, perſpirabilem materiam per ipſam ſubſtantiam partium noſtrarum, quae molles ſunt humidaeque, penetrare poſſe, cum calentis aquae vapor per corium ſiccum durumque transgredi valeat.

Inſcribitur, quod ſequitur caput, de incurſione p. 68.
HALLERI noua, atque dimidiam huius libri vniuerſi partem fere explet. Directum autem potiſſimum eſt contra praefationem Ill. HALLERI, praemiſſam volumini quarto *elementorum phyſiologiae*, in qua ſcilicet ille ſe contra ea, quae ALBINUS antea ſcripſit *), defendit. Repetiit vero Ill. ALBINUS argumentum HALLERI, et ſuam cuique reſponſio-

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. X. Part. IV. p. 645.

nem adnexit. Praeteribimus haec omnia silentio, tum, quoniam vehementer optamus, vt tota haec Virorum Illustrium controuersia tandem aliquando amica ratione componatur, tum etiam, quia plerque, quae in hoc scripto repetuntur, nota iam lectoribus atque eius naturae sunt, vt parum ad augendum nostrum studium facere videantur.

p. 144. In capite duodecimo icon sphincteris ani externi in tabulis musculorum ab Ill. ALBINO data contra Cl. CAMPERUM defenditur, qui musculum hunc in hac icone iusto altius super bulbum vrethrae extendi scripsit. Asserit tamen ALBINUS, in cadauere, ex quo in hanc tabulam delatus est, talem omnino hunc musculum fuisse.

p. 148. Decimum tandem tertium caput quasdam adnotationes de curatione calculosorum, qua RAVIUS olim vsus est, continet. Notum est, Ill. ALBINUM in *indice suppellectilis Ravianae* *) scripsisse, RAVIUM, cuius felicitas in lithotomia administranda adeo extollitur, vesicam incidisse proxime ceruicem eius, ostio integro relicto, plaga a latere nonnihil inferiora et posteriora versus ducta. Neque lectores fugiet, multos negasse, hoc ita fieri posse aut factum esse. Quare hoc loco id tantum addendum erit, Ill. ALBINUM id tribuisse his dubitationibus et obiectionibus, vt suam sententiam tandem hoc modo declarauerit, vt dicat, se non scripsisse, plagam vesicae supra prostatam infligendam esse, aut vesicam a latere prostatae aperiendam esse, sed vesicam incidendam esse proxime ceruicem eius, plaga inferiora et posteriora versus ducta **).

In

*) prodiit anno 1725.

**) Cel. CAMPER. in Demonstr. L. II. tab. 3. fig. 3. locum, quem ALBINUS secandum esse dixit, litteris a. μ. indicauit. Sed ALBINUS asserit, se verbis hisce

In quatuor tabulis aeneis huic volumini adnexis bulbus racemi Musae, interna intestinorum tunica, oculorum vitia antea descripta, claui fabrica, papillae cutis, pori ad radices pilorum positi, tandemque cartilagines auriculae exhibentur.

IX.

Deutliche Anweisung, wie man sich in einem Nothfall selbsten von den gefährlichsten und meisten Krankheiten befreyen könne, abgefasset von DANIEL LANGHANS, *bestelltem Stadtarzt in Bern. Erster Theil von den Fiebern und Entzündungen, Bern, bey Abr. Wagner, Sohn, 1762. 8vo. pl. 11. Zweyter Theil von den Krankheiten des Haupts, der Brust, und des Bauchs. Ebend. 1762. pl. 16. Dritter Theil von den Krankheiten der Haut, der Drüsen, fliegenden Schmerzen, Gliedersuchten, und der Lustseuche. 1763. pl. 8. Vierter Theil von den Krankheiten der Weibspersonen, der Kinder, von der Erhaltung der Gesundheit, und Besorgung äusserlicher Wunden, Verletzungen und Geschwulsten. 1764. pl. 13.*

i. e.

Luculenta instructio, quomodo necessitate vrgente quilibet sese ipsum a plurimis grauioribusque morbis liberare possit. Auctore DANIELE LANGHANS. Prima pars de febribus et inflammationibus; secunda de

hisce locum inter ϑ et λ. indicasse, hoc est, plagam breuiorem, quam quae est inter ϑ et ν, nec nisi ad principium ceruicis pertinentem.

morbis capitis, pectoris, et abdominis; tertia de morbis cutis et glandularum, rheumatismis, arthritide, et venereis morbis; quarta de morbis mulierum et infantum, de conseruatione sanitatis, cura vulnerum atque tumorum.

Proprio consilio permotus, nimiaque copia agyrtarum, quibus Heluetia monente Auctore abundare dicitur, excitatus, normam methodumque medendi iis indicat Cl. LANGHANS, qui, dum in itinere sunt, aut qui vitam rure degunt, neque habent, cui se obuenientibus morbis concredant, medicum prudentem, qua ipsi laesae suae sanitati obuiam ire, grauioribusque morbis mederi queant. Ad hanc rem perficiendam, non solum quemlibet morbum, quoad causas, diagnosin, prognosin, et symptomatum differentiam accuratius describere conatus est, verum etiam cuilibet parti prolixiorem adiecit indicem, quo quilibet mox suum, quo afficitur, morbum detegere possit. Singulae parti praemisit medicamenta quaedam, quorum ingredientia quidem reticet, indeque et nobis occasionem de iis iudicium ferendi demit, eximium tamen eorundem vsum multis collaudat, modum insimul adhibendi, vna cum pretio adiiciens. Licet itaque nesciamus, ex quibusnam composita sint dicta haec pharmaca, tamen vix nobis persuadere possumus, vt praedicata haec medicamenta tantis tamque egregiis virtutibus polleant, cum ipsa nomina iis imposita, qualia e. g. sunt: panacea Heluetica contra hydropem, guttulae dentes pellentes pro infantibus etc. omni genuinae medendi methodo contraria videantur. Interim quo Lector aliquam operis huius ideam acquirat, non superfluum fore arbitramur, si speciminis

ciminis loco ordinem, quem ſibi in recenſendis morbis Auctor elegit, commemoremus, ſummam nonnullorum capitum indicaturi. Itaque in prima parte primo loco de diaeta cuilibet febricitanti accommodanda exponit, et quae ad puritatem hypocauſti, ad cibum et potum in omnibus febribus ſpectant, recenſet. Quibus commemoratis, diuiſionem omnium febrium in intermittentes, continuas et lentas, adiicit; de progreſſu atque ſolutione febrium continuarum dein agens, monet, omnes eiusmodi febres, vel perfecta criſi, vel metaſtaſi quadam terminari, quapropter etiam non ſolum ſymptomata, veram quandam criſin praeeuntia, accuratius declarat, ſed varias quoque metaſtaſes, in tumoribus glandularum ſeſe manifeſtantes, vna cum curatione earum expoſuit. Ad curationem febrium continuarum in genere accedens, omnem indicationem eo redire iubet, vt nimirum ſanguinis maſſa diluentibus atque reſoluentibus emendetur, nimia eius copia venaeſectione imminuatur, euacuatio materiae morboſae per purgantia, emetica, aut diaphoretica, inſtituatur, diaeta accuratior per omnem morbi progreſſum obſeruetur, variaque tandem ſymptomata accidentalia leniantur, quorum etiam praecipua, qualia v. c. ſunt ſitis, dolor capitis, agrypnia, vomitus, diarrhoea, et quae ſunt plura, ſubſequentibus capitibus, ſeorſim recenſet, tandemque febris catarrhalis, purpuraceae, purpurae puerperarum, rubeolarum, variolarum, ſcarlatinae, vrticatae, eryſipelatis, petechiarum, febrium putridarum, intermittentium et lentarum hiſtoriam, methodumque curandi dedit, cum deſcriptione et curatione variarum inflammationum primam hanc partem finiens. Ex his, quae ſpeciminis loco breuiter indicauimus, momentis, ſatis ſuperque patere arbitramur, quomodo Auctor in proponendis morbis

verſatus fuerit. Eadem prorſus ratione reliquos morbos in ſubſequentibus tribus partibus pertractauit, quorum autem vlteriori recitatione lubenter ſuperſedemus, cum certi ſimus, quemlibet practicum peritum doctumque alios melioresque habere fontes, e quibus in ſolatium aegrotorum, ſuique ipſius ſcientiam augendam, haurire poſſit. Omnia enim in morborum hiſtoriis obuenientia momenta ita vbique cognita ſunt, vt nihil plane notatu dignum inueniamus. Pauciſſima ſunt, quae tamen indicium aliquo modo promerentur. In hydrophobis enim vnicum, praeſtantiſſimumque remedium, mercurium eſſe, affirmat; in hiſtoria morborum cutaneorum eorum ſententiam refutat, qui autumant, herpetem e. g. atque impetiginem ab inſectis ſub cute nidulantibus produci. Cum enim, hac cauſſa poſita, ratio materiae morbi per medicamenta externa intempeſtiue adhibita retropulſae vix dari poſſit, ſymptomatum tunc temporis oriundorum cauſſam in ſubitanea materiae acris et rodentis retropulſione ad partes internas quaerendam eſſe, arbitratur.

X. Con-

X.

Contemplation de la Nature. Par. C. BONNET, des Acad. Imperiales d' Allemagne et de Ruſſie, des Academies Royales d' Angleterre, de Suede et de Lion; de l' Academie electorale de Baviere et de celle de l' Inſtitut de Bologne; Correſpondent de l' Academie Royale des Sciences et des Sociétés Royales de Montpellier et de Gottingue. a Amſterdam chez Marc. Michel Rey 1764. 8. Tom. I. pl. 19. praefat. pl. 6. Tom. II. pl. 17.

h. e.

Contemplatio naturae, Auctore C. BONNET.

Quum nemini non notiſſima ſint in ſtudium hiſtoriae naturalis Cl. Auctoris merita, nos quidem, de nouo opere dicturi, omni eius ſuperſedere poſſemus laude, quippe quum naturae haec contemplatio perlegenti copioſa multifariae eruditionis documenta offerat. Amplam admodum, quam ſuo operi praemiſit, praefationem Noſter, tanquam ſciagraphiam libri *de organiſatis corporibus*, a nobis iam memorati *), et illius *de facultatibus animae* commendamus, quam eam potiſſimum ob rationem addidit Noſter, quod a variis ſuas ſententias nec recte perſpectas, nec conuenienter diiudicatas fuiſſe ſcribit, quo nunc, ceu in ſpeculo, omnem tractandi rationem intueantur. Prius vero de ipſo, quam exponamus, libro, monendum eſſe cenſemus, illum in linguam Germanicam fuiſſe nuper a Cl. IO. DANIEL TITIO **), Phyſices in academia Vitebergenſi Profeſſore,

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. P. I. p. 29.

**) Prodiit hoc titulo: *Betrachtung über die Natur von Herrn*

feſſore, translatum, nonnullisque animaduerſionibus auctum, quo noſtratibus etiam elegantia disquiſitionis notior reddatur; de hac vero egregia verſione deinde adhuc aliqua ſumus propoſituri.

Totum opus, etſi continuum tractationis filum ſit, in duos diuiditur tomos, quorum primus nouem partes, ſecundus tres complectitur. A ſummo rerum creatore ipſiusque naturae gubernatore incipitur, et ad corporum contemplationem inde progreſſus fit, quorum ſcilicet perfectio per gradus alia aliaque eſt, id, quod deinde in plantis animalibusque nec non inſectis probatur, quorum omnium in oeconomia ſua aliqua inter ſe relatio et conuenientia eſt, atque animalium praecipue ſingularis ad fines naturae conſequendos adaptata induſtria.

To. I. Summi, quod adoramus, numinis potentia creauit mundum noſtrum et ſine dubio alios, hinc de vniuerſo noſtro ita diſſerit Cl. Auctor, vt eius perfectionem, aſtrorum ſitum et communem nexum
p. 21. omnium rerum accurate exponat. Rerum ſeu entium terreſtrium quatuor claſſes conſtituit Noſter, primo rerum non organiſatarum, ſecundo rerum organiſatarum, quibus anima non datur, tertio rerum organiſatarum, anima praeditarum, et tandem quarto rerum organiſatarum, animatarum et rationalium. In ſingulis eſt aliqua perfectio, alia tamen corporis, in organiſatione, praecipue in homine, alia ſpiritus, in facultate ideas abſtrahendi, inter vtramque gradus ſint, connexionem ſeu catenam communem facientes, ſiquidem natura ſaltum non faciat. Species rerum in ſcala hacce gradus conſtituunt, quae ſcala a ſimplici progreditur ad compoſitum.

Opus

Herrn CARL BONNET *etc. mit Kupfern, Leipzig bey Iohann Friedrich Iunius*, 1766. 8. 1 *Alph.* 10 *Bogen*, 3 *Kupfertafeln.*

Opus itaque eſſe credidit Cl. Auctor, in perue- p. 31.
ſtigatione naturae omnem hanc ſcalam percurrere,
quum vero elementa discernere nequeamus, nec
euoluere, ad compoſitionem progreditur, cuius tria
facit genera, in fluidis nempe, in ſolidis non orga-
niſatis et in organiſatis corporibus. Fluida maxime
ſubtilia ſunt, huc refertur materia ignis, aer deinde
et aqua itidem multum conferunt ad componenda
corpora, terra vero baſis ſolidorum corporum eſt,
cum qua multa alia iunguntur corpuſcula. Limites
inter ſolida, quae organa non habent et illa, quae
talia acceperunt, facere videntur lapides lamellati et
fibroſi (melius tamen eos detegi in plantis ſic di-
ctis ſubmarinis, in verſione germanica legitur).
Organa habent vegetabilia aeque ac animalia, quo-
rum diſcrimen fere nullum eſt, niſi in neruis; igno- p. 38.
bilioris indolis in vegetabilibus ſunt tubera, fungi,
agarici, lichenes, ſitus. Plantarum tres gentes fa-
cit Noſter, herbas, arbores atque frutices, quarum
etiam partes deſcribit. Tranſitum ab his ad ani-
malia declarat herba, quae ſenſitiua ſeu mimoſa di-
citur, deinde polypus. Inter animalia perfectiſſi-
mum homo eſſe videtur, ſimpliciſſimam ſtructuram
habet polypus, oſſibus deſtituuntur inſecta, quo-
rum externam internamque ſtructuram rimatur, ab
his procedit ad conchylia, reptilia, piſces, aues,
quadrupeda, tandemque ad hominem, quorum
omnium nexum et ſingulares dotes naturales perlu-
ſtrat. In his autem omnibus praerogatiuam facit
ſentiendi facultas, animalibus prae plantis conceſſa p. 71.
et in neruis reſidens, quae ſimul efficit, vt primum
in ſcala naturae occupet locum homo, varia ratione
conſideratus, tandem demum poſt mortem corporis
reſuſcitandus. Quatenus vero organiſatum corpus
animam accepit, variae eius adfectiones fiunt, atque
relationes rerum ad ſe inuicem. Hae relationes
ſeorſim

ſeorſim dignoſcuntur in animi imperio in corpus, quod actione et reactione nititur. Contemplatur Cl. Auctor ideas, ſenſationes, affectus, temperamen-
p. 96. ta, quae ipſi in facultate externas impreſſiones corporum adſumendi, earundemque reminiſcentia, conſiſtunt, pendentque a natura et copia fluidorum: porro inſomnia, ſenſum viſus, colorum rationem, ignem, aerem.

p. 125. Ipſa tamen organica corpora phyſicas in primis relationes copioſas oſtendunt: exempla multa ſunt in oeconomia vegetabilium, quippe quae vitales actiones ſecundum leges, a natura ſtabilitas, exercent. Hanc eximie breuiterque deſcribit Noſter, varias ex ſuo de vſu foliorum libro mutuatus demonſtrationes, propagationem praecipue plantarum per
p. 140. ſemina, turiones et gemmas dilucidat. Partes deſtructae arboris ex fibris, intus ſub cortice deliteſcentibus, reſarciuntur, rami et turiones ex germine, itidem in planta abſcondito. Animalia pariter oeconomiam propriam habent, neruis muſculisque agitantur et viuunt, creſcunt, nutriuntur, generant. Hanc generandi potentiam, normam et modum; ſupra in disquiſitione corporum organiſatorum iam adduximus. Suadet inter alia, vt tentamina inſtituantur cum inſectis, numne ex illis muli ſeu hybrida poſſint produci.

Sed quum oeconomia etiam in inſectis peculiaris ſit, illam ſpecialiori conſideratione perſequitur. Habent illa neruos, reſpirant, humores in iis circulantur, etiam in nonnullis acidum verum eſt, vti in eruca ſalicis et formicis. In generationis negotio vero multa ſingularia fiunt penes inſecta: muſcae ſpecies quaedam femina a mare recipitur; alia mares, feminae et generis neutrius ſunt. Dantur etiam hermaphroditi, inter quos, qui ſibi ipſis ſuffi-
p. 196. ciunt, exiſtunt, vt acari ſiue aphides (*pucerons*), qui

mox

mox viuos foetus pariunt, mox ouula ponunt. Non minus miranda eſt zoophytorum oeconomia, quippe quae, in partes diſſecta, ex nouis quaſi gemmis propullulant, reuiuiſcunt et integra redduntur. Varia eiusmodi inſectorum genera, in primis polyporum, accurate recenſentur, ante quorum cognitionem in oeconomiae animalis ſcrutinio hiatus erat, ſimulque inde conſequitur, analogiam in vita animali non ſemper pro regula eſſe adſumendam. Singulum genus ſuam vitam ſenſumque habet, gradum etiam intelligentiae in anima maiorem perfectioremque futurum eſſe coniicitur, ſi anima quaedam omnibus organiſatis corporibus ſucceſſiue tribueretur, earundemque mutationum conſcia redderetur. Polypos itaque vinculum eſſe coniicit, quo animalia et vegetabilia inter ſe iunguntur, multa praeter ea de oeconomia animali diſſerit, quae cuncta hic expromere nequimus. Quoniam vero polypus originem organiſatarum ſubſtantiarum adeo eximie illuſtrat, fibras animalium quorumcunque, polyporum ad inſtar conſiderandas eſſe Noſter credit, quippe quae, deſtructae antea, denuo creſcunt, euoluuntur, reſtituunturque. In polypis tamen, vti in ouis, germen noui animalis eſt, per totam corporis ſuperficiem germina diſperſa ſunt, quae, quaſi turiones, data occaſione, propullulant, quod etiam de lumbricis terrae valet, cuius tamen corpus multo magis ac polypi eſt compoſitum, quae etiam propagatio de aliis inſectis vberius adfirmatur. Millepedes, excluſi ex ouis, ſex pedibus inſtructi reperiuntur, poſthaec ducentos creſcendo acquirunt. Haec autem ſucceſſiua mutatio Cl. Autorem ad metamorphoſin inſectorum contemplandam ducit, quorum vitam in tres periodos diſtinguit: in prima inſectum *vermis* eſt, in altera *nympha*, quae vitam ſine actione viuit, in tertia *organiſatum corpus* prodit. In hoc multae reperiun-

p. 220.

p. 227.

p. 245.

p. 248.

p. 256.

p. 266.

p. 268.

periuntur, quae antea non aderant, organicae partes, praecipue diſtinctio ſexus. Natura pariter, in omnibus ſuis rebus varia, etiam hic exceptionem ponit, vt nempe aliquando in ouale corpus (*boule allongée*),
p. 272. maſſam pultaceam, ſed membris inſtructam oſtendentem, conuertatur inſectum, vel ouum ponere videatur, ipſa matre non minus, vt in muſca aranea; hoc tamen vera iam nympha eſt. Ex hac diſtinctione animalia ipſa, quoad ſuam vitam, diſcri-
p. 279. mina recipiunt, tentamine itaque quodam, qua ratione inſecta inter ſe ſint discernenda, Cl. Auctor proponit. Sunt nempe inſecta alia, quorum forma per omnem vitam eadem manet, quo pertinent zoophyta, araneae, cet. quorum ſubdiuiſiones ex aliis deinde momentis, v. c. pedum abſentia vel numero, propagandi ratione et ſic porro poſſent deſumi; alia deinde, quorum forma per metamorphoſes fit mutabilis. Horum quatuor claſſes conſtituuntur, *pſeudonymphae*, ſeu quae exuuias ponunt, ſine vlteriori mutatione, niſi, vt ex inſectis non alatis fiant alata, v. c. libellae, cicadae, ephemerae; porro *nymphae*, ſub quibus partes inſecti latent, in ſtatu tamen immobilitatis remanent; *nymphae vermiformes*, primas hae exuuias non deponunt, ſed contrahuntur, vermis quaſi formam induunt, vt muſcae quaedam; tandemque *chryſalides*, quarum exuuiae denſantur
p. 285. atque impellucidae fiunt. Metamorphoſes vero ex eo facile contingunt, quod exuuiae, tanquam vaginae, vna in altera et ſub altera latet, quarum extima neceſſitate cogente reiicitur. Paullo obſcurior res eſt, quomodo et inteſtina et viſcera reſtituantur, declarare.

To. II. Sed pergimus ad comparationem plantas inter et animalia inſtitutam. Conuenientiam itaque Noſter perpendit inter ſemen plantae et ouum animale,

gemmam

gemmam inter et foetum; demonſtrat conſentientem nutritionem, incrementum, foecundationem, generationem, morbos, tandemque mortem vtriúsque. Alios praeterea fontes ſimilitudinis ex loco, p. 53.
numero, magnitudine, forma, ſtructura, humorum motu et aliis eius generis conditionibus deſumit. Motum ex vno in alium locum non optime discernere plantam et animal, variis argumentis probat, ſiquidem et animalia vere ſint, quae locum non mutent; nec ſenſum, vtut in vegetabilibus perſpicuus p. 61.
non ſit, iisdem absque omni dubitatione denegari poſſe, variis phaenomenis in incremento plantae obſeruandis, eleganti ratione illuſtrat. Irritabilitatis veſtigia in plantis vix occurrunt, vt haec videri poſſit diſcrimen conſtituere conditio; quum tamen denuo quaedam ſint, quae ambiguos relinquant obſeruatores, numne ſint irritabilitatis ſigna: plantae
et animalia, quae tam promte vulgus dignoſcit, ma- p. 77.
teriae organiſatae modificatio Noſtro eſſe videntur, cuius character diſtinguens nos latet.

Induſtria animalium, ſeu ſingularis in ſuſcipiendis variis operibus adhibitus labor, atque ad ea exequenda aptitudo, porro Noſtrum occupat, de qua etiam ita ſtudioſe et vere eximie agit, vt mirandas varii generis animalium actiones, quas tamen ſe leuiter tantum adumbrare voluiſſe profitetur, collegiſſe et ex penu ſuae eruditionis declaraſſe recte dicatur. Omnis etiam haec tractatio lectu digna et iucunda eſt: notamus tantum, quum multa anima- p. 108.
lia in ſocietate viuant, earum duas quaſi claſſes conſtituere Cl. Auctorem, eam ſcilicet, vbi multa animalia ob indiuiduorum conſeruationem ſocietatem ineunt, et eam, quae praeter hanc cauſſam in educatione natorum conſiſtit, iterumque ex prioribus aliorum ſocietas per omnem vitam, vel per aliquod tantum tempus durat. Multum deinde faceſſit men-

tem philoſophi, ſi adeo egregia ab animalibus et quaſi praemeditata perfici videt opera, quale eſt ſtruendi methodus caſtoris, pene ſtupenda, vnde hoc fiat? En Noſtri hac de re cogitata, cum mode-
p. 140. ſtia tamen decente expoſita: ſingulae ideae in cerebro reſpondent certae quaedam fibrae, hae ſimul cum animali natae ſunt, ſeu innatae, forte ſic iubente ordine et conditione varia animalis commouentur, vt ideas certas producant, ad opera conficienda neceſſarias; hinc non innatas ſpecies rerum, ſed innatas fibras adſumit, et ſic aenigma ni ſolui, tamen illuſtrari arbitratur. Tandem eorum animalium exempla percurrit, quae ſolitarie plerumque viuere amant. Horum quippe incredibilis induſtria ſigillatim efficere debet, quod ab aliis vnitis quaſi viribus praeſtatur. Ex omni fere animalium genere aliqua occurrunt, a quibus diuerſa, ad conſeruationem ſui vel ad propagationem pertinentia, opera ſuscipiuntur. Mirus autem eorum, finibus conſequendis adaptatus labor, ſtudioſe exponitur, nec intellectum quendam animalculis ineſſe, ad cuius nu-
p. 169. tum eum inſtituant, denuo docet: licet ex eo, quod v. c. tinea, quae ceram rodendo ingreditur, deficiente cera, obiecta papyri fruſtula in habitaculum concinne disponat, id conſequi poſſet. Solen bi-
p. 174. ualuis (*Coutelier*), in aqua maris ſalina viuens, ſalem metuit: pauco itaque ſale inſperſo ex ſuis valuis exire cogitur, digitis tactus redit, nunquam exiturus iterum, attactum timens, non tactus vero
p. 178. ſaepe expelli poteſt. Porro vrticas marinas vere ſe mouere oſtendit, conchas deuorare, laeſas iterum
p. 189. reparari, per turiones propagari. Nec non concham marinam adducit, fila nectentem, et pinnam
p. 207. marinam. Num animalibus ſit ſermo adſcribendus, discutit, eum variis adductis obſeruationibus ſtabilit, et in vniuerſum notatu digniſſimis animaduerſionibus

bus ſummam creatoris intelligentiam concelebrat, quae in omni operum naturae concatenatione perpetuo detegitur pie ſuſpicienda.

Tandem de germanica nobis dicendum eſt verſione, quam varias ob cauſſas egregiam dicere poſſumus, quum non ſolum elegans ſit et ita comparata, vt textum accuratiſſime exprimat, ſed etiam hinc inde aliquas additiones acceperit, denique ad finem libri tribus aeneis tabulis aucta inueniatur, quibus quaedam Cl. Auctoris capita optime illuſtrantur. *Prima* nempe *tabula aenea* ex Cl. LEDERMÜLLERI per microſcopia factis obſeruationibus repetit gemmam hippocaſtani, ſpicam ſecalis propullulantem, et polypum faſciculatum ſiue campanulatum, quibus praeexiſtentia partium in gemma, conuenienti tempore euoluendarum, confirmatur. *Secunda* ad declarandam conuerſionem foliorum et vtriusque ſuperficiei vtilitatem ex Cl. BONNETI libro mutuatas figuras, nec non polypum brachiatum ſiſtit. In *tertia* denique, quod Cl. Auctor multa de polypis propoſuit, ad ibi adnotata phaenomena explicanda adduntur variorum polyporum exempla, ex Cl. SCHAEFFERO de polypis aquae dulcis deſumta, quae, ſi conferantur cum Cl. Auctoris diſquiſitionibus, vehementer adficient animum legentium, quos ſane huic libro copioſiſſimos optamus.

XI.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Volume LIII. for the Year 1763. London printed for L. Davis and C. Reymers. 1764. 3 Alph. 2. pl. tab. aen. 24.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Volumen LIII.

Sequentes obſeruationes in hoc Volumine continentur:

p. 1. 1) *Dimenſio diſtantiae ſolis a terra, ſuperſtructa obſeruationibus* Cl. SHORT, *parallaxin ſolis horizontalem concernentibus, in litteris* Cl. P. DAVAL *ad* Cl. IAC. BARROW.

p. 3. 2) *Obſeruatio cometae, qui menſe maio a. 1759. apparuit, facta Hagae Comitum a* Cl. P. GABRY, *communicata a* Cl. EMANUEL MENDEZ DA COSTA.

p. 5. 3) *Obſeruatio cuiusdam meteori igniti inſtar chaſmatis, facta Hagae Comitum d. 21. dec. 1758. a* Cl. PETR. GABRY, *communicata a* Cl. EMANUEL MENDEZ DA COSTA. Tempeſtas eo tempore, quo hoc meteorum obſeruabatur, pluuioſa erat et regelata, interim tamen illud tanta nitebat luce, vt illam imitaretur, quae aeſtiuo tempore ſolis ortum prae-

praecedere ſolet. Ex omnibus vero momentis obſeruationis hic propoſitae apparet, meteorum illud ſpeciem *aurorae* ſic dictae *borealis* fuiſſe.

4) *Relatio de decremento fluuii* Eden *in Cumberlandia ſatis notabili, ex litteris* Cl. WILLIAM MILBOURNE ad CAROLUM *Epiſc. Carliſle.* Nocturno tempore inter diem 28 et 29 dec. 1762 aqua fluminis modo dicti vltra duos pedes decreuit, tanta quidem celeritate, vt multi piſces in ſiccata parte aluei relinquerentur. Licet vero nulla interim pluuia decidiſſet, tamen iterum poſtero die aquae copia in tantum aucta fuit, vt priſtinam acquireret altitudinem. Tempeſtas hac nocte frigida erat. Venti flabant euroaquilo et vulturnus, fluuii *Eden* vero directio eſt verſus orientem et ſeptentrionem. p. 7.

5) *Quantitas pluuiae, quae ſingulis annis ab a. 1749. vsque ad annum 1762. Norwichii decidit*, in pede quadratico, obſeruata a Cl. WILL. ARDERON, communicata a Cl. HENR. BAKER. p. 9.

6) *Obſeruationes de effectu electricitatis, per quatuor menſes contra tetanum applicatae, ex litteris* Cl. WILH. WATSON *). Puella ſeptem annorum coepit adfligi ſpasmodica quadam oris conſtrictione ſine omni dolore, atque ſimul deglutitione difficili laborabat. Ita vero hoc malum in dies augebatur, vt, eo ſenſim ad vicinos muſculos producto, omnes fere corporis muſculi tandem rigeſcerent, ſaepiusque conuulſiuis motibus conuellerentur, motu in ſolo ſiniſtro brachio relicto. Atque haec facies morbi erat, ad mediam vsque partem nouembris, quo tempore, omnibus aliis auxiliis, quae ars medica ſuppeditare poteſt, fruſtra adhibitis, tandem p. 10.

*) Lect. d. 10. Febr. 1763.

vis electrica tentabatur. Erat autem effectus huius remedii exoptatiſſimus, aegraque per quotidianam eius applicationem ita reſtituebatur in priſtinam ſanitatem, vt plane eſſet a triſtiſſimo hoc malo menſe iulio ſubſequentis anni liberata. Addit Cl. WATSON huic hiſtoriae nonnullas obſeruationes de tetano in vniuerſum, qui morbus raro alias per ſe exiſtit, ſed vt plurimum ſymptomaticus eſt, et a laeſione nerui oriri ſolet.

p. 27. 7) *Relatio de nupera mitiſſima tempeſtate in Cornubio, et quantitate pluuiae, quae in eadem prouincia a. 1762. decidit, ex litteris Rev.* WILLIAM BORLASE *ad* Cl. HENR. BAKER. Licet in vniuerſum in hac Angliae parte clementia coeli inſignis ſit, tamen ea hoc praecipue anno tanta fuit, vt paucis diebus exceptis aqua plane non glacie concreſceret, atque exoticae arbores fere omnes, in terra ipſa ſub dio poſitae, frigus ſine vllo damno perferrent. Copia aquae pluuialis altitudinem 29 pollicum ſuperabat.

p. 30. 8) *Delineatio tranſitus veneris per diſcum ſolarem inſtantis a. 1769. Auctore* Cl. I. FERGUSON.

p. 31. 9) *Deſcriptio appulſus lunae ad iouem, Chelſeae d. 25. dec. 1762.* $11^{h.}$ $0'$ $30''$ *temp. appar. obſeruati, a* Cl. SAM. DUNN.

p. 32. 10) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeani Societati Regiae exhibitarum a Societ. Pharmacopoeorum per* Cl. I. WILMER.

p. 37. 11) *Obſeruationes de veſpa quadam flaueſcente* (Yellowiſh Wasp) *Penſyluanica, factae ibidem a* Cl. I. BARTRAM, *excerptae ex litteris Eiusdem ad* Cl. P. COL-

P. COLLINSON *). Haec veſparum ſpecies in arena foueas effodit, atque in ſingulas ouum ponit, ex quo paullo poſt vermis prodit. Hunc veſpa parens vsque ad eiusdem in nympham transformationem alit muſcis, quas captas ad eum defert. Vtitur vero ſingulari plane artificio, tum in cuniculis his effodiendis, tum in arena, qua fouea tecta eſt, dimouenda. Nam quando vermem relinquunt, aditum ad folliculum ſollicite iterum arena claudunt, ne vermiculus vlla externa iniuria laedi poſſit.

12) *Relatio de peſte Aleppenſi ex litteris* THOM. DAWES *ad Rev.* CAROL. LYTTELTON **). Triſtiſſimis omnino malis, vt fame, terrae motu etc. haec vrbs per annos, qui annum 1761. praeceſſerunt, adfligebatur. Anno vero huius ſeculi ſexageſimo primo peſtis, qua iam anno quinquageſimo octauo ad quinquaginta hominum millia interierant, noua iterum incrementa cepit, atque ad mediam fere anni ſequentis partem vsque durauit. Abripuit vero vltra triginta hominum millia, cum ſingulis fere diebus ducenti vel trecenti ſepelirentur. In tanta autem mortuorum multitudine tantum quatuor vel quinque Europaei, nullique plane Angli fuerunt. Varia in hac peſte Cl. DAWES exempla puerperarum innotuerunt, quae foetus peſte correptos in lucem ediderunt, licet matres ipſae plane ab hoc morbo liberae eſſent. Nutrix infantis quinque menſium, peſte correpta, vsque ad mortem fere infanti proprio vbera praebuit, qui tamen ipſe contagio non affectus eſt. Atque eodem modo a contagio liberi manſerunt varii ex iis, qui curam aegrotorum et peſte demortuorum in ſe ſuſceperant. Vetula, centum fere annorum, morbum illum tot aliis p. 39.

*) Lect. d. 24. Febr. 1763.
**) Lect. eod. die.

iunioribus pernicioſum feliciter ſuperauit. In vniuerſum enim peſtis iunioribus magis, quam aetate prouectioribus, foeminisque magis, quam viris, funeſta eſſe ſoleat, cum vtplurimum inter vndecim peſte demortuos decem mulieres, vnus tantum vir eſſet.

p. 48. 13) *Obſeruationes de ferro, ex arena quadam ferri diuite* (Sand Iron) *extracto, ex litteris* Cl. HENR. HORNE *ad* Cl. IO. ELLICOT *). Notum eſt, Virginiae incolas coepiſſe ante aliquot annos ferrum parare ex arenae aliqua ſpecie, ſatis in his terris vulgari, nigra, quam magnes attrahit; atque metallum exinde paratum praeſtantiſſimum eſſe. Cl. HORNE oſtendit, ſe iam ante viginti annos ex hac arena ferrum elicuiſſe, praegreſſa vſtulatione, atque hic varias adnotationes in eorum vſum ſubiungit, qui in America officinas ferrarias exſtruere volunt.

p. 62. 14) *Ex litteris* Cl. S. P. PALLAS *ad* Cl. EMAN. MENDEZ DA COSTA *quaedam de intenſo frigore a.* 1762. *Berolini obſeruato* adducuntur.

p. 63. 15) *Relatio de denſa caligine Detroit in America obſeruata, ex litteris Rev.* IAC. STIRLING *ad* Cl. I. DUNCAN, *communicatis a* Cl. SAM. MEAD. Die 19. oct. 1762 matutino tempore totum coelum denſa obfuſcabatur caligine, ita, vt ſol ſanguineum oſtenderet colorem, atque illius magnitudo, ſub qua ſe vulgo noſtris oculis ſiſtere ſolet, in triplum aucta appareret. Replebatur aër flaueſcente nebula, ſulphureum odorem ſpirante, vsque ad tertiam poſt meridiem horam, vbi pluuia ſulphure diues, quae decidebat, caliginem illam diſſipabat. Putat autem Noſter, caliginem hanc ortam eſſe ab eruptione montis cuiusd. m igniuomi, aut alius cuiusdam ſubterranei ignis. 16) *Re-*

*) Lect. d. 3. Mart. 1763.

16) *Relatio de inſecto quodam marino ſingulari*, *ex litteris* Cl. A. P. DU PONT *ad* Cl. EM. MENDEZ DACOSTA *). Inſectum hoc, cuius corpus ſatis velociter muſculorum ope mouetur, in oceano captum eſt. Longitudo vniuerſi animalis pollicem ſuperat, ex capite quatuor parua cornua prominent, in quibus ſorte oculi eius continentur, quae vero tantum eo tempore ab animali extra corpus producuntur, quando illud in aqua natat. In parte corporis anteriore os poſitum eſt, ad latus vero duo reſpiracula. Dorſi longitudinem linea alba argentea quaſi percurrit, qua microſcopii ope examinata apparet, eam perpetuo in vndulatorio motu verſari. Ad latera poſitae ſunt aliae ſtriae duae coeruleſcentes, pariter per totam animalis longitudinem productae, atque in cauda inter ſe confluentes. Tentacula animal hoc habet plurima, quae coeruleum colorem oſtendunt, cum reliquus dorſi color ex coeruleo argenteus ſit, abdominis albus. p. 57.

17) *Litterae* Cl. WARGENTIN *ad* Cl. I. ELLICOT *de vltimo veneris per diſcum ſolarem tranſitu.* p. 59.

18) *Adnotationes in cenſuram mappae* MERCATORIS, *quae exſtat in opere poſthumo* Cl. WEST, *ex litteris* Cl. SAM. DUNN *ad* Cl. TH. BIRCH. p. 66.

19) *Defenſio mappae* MERCATORIS *contra eandem eiusdem* Cl. WEST *cenſuram*, *ex litteris* Cl. WILH. MOUNTAINE *ad* Cl. CAR. MORTON. p. 69.

20) *Relatio de ſpecie quadam Ophridis*, Auctore GEO. DION. EHRET **). Putat Cl. EHRET, plantam hanc eandem eſſe ſpeciem, quam Cl. GRONOVIUS p. 81.

*) Lect. d. 10. Mart. 1763.
**) Lect. d. 14. Apr. 1762.

VIUS *) ſub nomine *Ophridis ſcapo nudo foliis radicalibus ouato oblongis, dimidii ſcapi longitudine* deſcripſit. Plantam vero hic deſcriptam Cl. BERTRAM ex Philadelphia ad Cl. COLLINSON transmiſit. Radix eius fibroſa eſt et carnoſa, folia habet duo, ſcapum triquetrum, cui multi flores breuium pedunculorum ope adhaerent, qui ſanguineum colorem habent, tandemque in capſulas ſeminales baſi denticulatas intumeſcunt. Oſtendit vero Cl. EHRET, plantam hanc, cuius flores ſingularem plane ſtructuram habent, ad gynandria diandria LINNAEI pertinere.

p. 84. 21) *Noua circa electricitatem experimenta, ex literis* Cl. EBENEZ. KINNERSLEY *ad* Cl. BENI. FRANKLIN **). Experimentorum duodecim, in hoc articulo luculenter deſcriptorum, ſex priora ad diſquirendam intimiorem electricitatis poſitiuae ac negatiuae naturam potiſſimum inſtituta ſunt. Poſteriora vero omnium ſunt curioſiſſima. Inſtituta enim ſunt nouo, ab Auctore inuento, electrico-aëreothermometro, cuius ſtructuram in adiecta tabula aenea quinta accurate exprimendam curauit, ſingulasque eius partes, vna cum ratione eas combinandi earumque vſu deſcripſit. Ex inſtitutis vero cum ipſo inſtrumento experimentis ſequentes propoſitiones extra omne dubium poſitas eſſe docet. 1) Electricum ignem in ſtatu quietis non continere plus caloris, quam aërem aut aliam materiam, in qua reſidet, aut cui inhaeret. 2) Ignem ipſum electricum in ſe concipere calorem et acquirere, ac eundem in aliis corporibus producere violento motu et reſiſtentia, quam alia corpora ipſi opponant. 3) Hinc concludit, falſo ſe aliosque ſuppoſuiſſe, fulgur metallum

*) Flor. Virg. p. 185.
**) Lect. d. 18. Nov. 1762.

tallum liquefacere per fuſionem frigidam. Illuſtrat tandem ex his propoſitionibus varia in fulgure obuia phaenomena, atque methodum praecauendi damna, quae a fulgure et tonitru domibus inferri ſolent, magnae eſſe vtilitatis, docet occaſione horrendi fulminis, quod Philadelphiae WILH. WESTII domum feriit.

22) *Obſeruationes circa electricitatem et fulminis* p. 97.
ictum, in litteris Cl. TORBERN BERGMAN *ad* Cl. BENI. WILSON *). Cum Cl. BERGMAN communicata cum eo a Cl. WILSON **) DELAVALII experimenta de electricitate cryſtalli Islandicae iteraret, conſtanter euentum ei plane contrarium in ea notauit, quem DELAVALIUS obſeruauerat. Tentamina ſuſcepta ſunt cum fruſtis cryſtalli, obiecta per refractionem duplicantibus, in Suecia collectis, ſuſpicio inde ei ſuborta, hanc inter et Islandicam eſſe eſſentialem differentiam. Quare comparandam curauit cryſtallum in Islandia natam, ſed inſtitutis cum ea experimentis eadem obſeruauit phaenomena. DELAVALIUS vero iam ipſe Vol. LII. P. I. p. 355 occaſione huius epiſtolae Bergmanianae notauit, proprietates a ſe obſeruatas non eſſe omnibus cryſtalli Islandicae ſpeciebus communes. Ex quibus tentaminibus cum Cl. DELAVAL collatis conſequitur, diuerſas dari ſpecies cryſtalli, quae eo diligentius examinandae, cum huc vsque mineralogi non niſi vnicam diſtinguant.

23) *Adnotationes de hirundinibus ad Rhenum, ex* p. 101.
litteris Cl. ACHARD ad Cl. PETR. COLLINSON ***).

Cl.

*) Lect. d. 14. Apr. 1763.
**) conf. Comment. Vol. XII. P. III. pag. 520. et P. IV. pag. 717.
***) Lect. d. 21. Apr. 1763.

Cl. Auctor, menſe martio Rhenum deſcendens, paullulum infra Baſileam vidit pueros in eo occupatos, vt ope baculi, cui cochlea adfixa erat, qua globuli ex ſclopetis extrahi ſolent, hirundines ex foraminibus in ripa arenoſa fluminis occurrentibus extraherent. Permouebat ſpectaculi nouitas Auctorem, vt in hanc rem diligentius inquireret, adeo quidem felici cum euentu, vt intelligeret, hirundines in hiſce cuniculis per totam hiemem dormire, mox vero, redeunte aeſtiuo calore, expergiſci et auolare. Neque ſolis calor tantum talem effectum habet, ſed et alius quicunque, hirundinibus hiſce applicatus, idem praeſtat, vt itaque extra omnem dubitationem poſitum ſit, plurimas hirundinum in ſimilibus dormitoriis per totam hiemem commorari, reliquas vero in calidiores migrare regiones.

p. 103. 24) *Proprietates potentiarum mechanicarum demonſtratae, vna cum quibusdam obſeruationibus in methodum eas vulgo demonſtrandi, in litteris* Cl. HUGH HAMILTON ad Cl. MATH. RAPER.

p. 127. 25) *Relatio de nonnullis ſubterraneis conclauibus, in quibus inſcriptiones et picturae Etruſcae occurrunt, detectis in loco quodam, Civita Turchino dicto, in Italia.* Auctore Cl. IOS. WILCOX, communicata a Cl. CAR. MORTON.

p. 130. 26) *Relatio de planta Peruuiana noua, nuper in Angliam delata, cuius characteres ab omnibus generibus hactenus deſcriptis differunt.* Auctore GEO. DION. EHRET *). Planta haec, cui Cl. MILLER Walkeriae nomen, in honorem RICH. WALKER, fundatoris horti academici Cantabrigienſis, dedit, colebatur iam anno 1755 in horto Regio Pariſino ſub nomine

*) Lecta d. 12. Mai. 1763.

nomine *Belladonnae Peruuianae minoris.* Differt ea ab *Alkekengi Indico glabro chenopodii folio* DILL. Hort. Elth. cum quo de reliquo ſatis conuenit, ſola ſtaminum inſertione. Calyx huius plantae monophyllus eſt, quinquefidus perſiſtens, atque abit in fructum pentagonalem et conicum. Flores pedunculis longis inſiſtunt, et ex alis foliorum proueniunt. Corolla tubuloſa eſt, monopetala, laciniis quinque obtuſis, color eius coeruleus eſt, inferius purpuraſcens. Filamenta habet quinque, in faucem corollae inſerta, aequalia, piloſa, antherae a ſe inuicem diſtant. Stilus longitudinem ſtaminum habet, atque ex medio germinum procedit, ſtigma eius globoſum eſt. Capſula pentagonalis et conica ſemina quinque diſtincta punctata et aſpera continet, quae iterum in tria loculamenta diuiduntur, vnicum ſemen continentia. Folia huius ſpeciei ſeſſilia ſunt, ouata et ad baſin ciliata.

27) *Obſeruatio ſuper duabus inſcriptionibus Romanis Netherby in Cumberlandia detectis, ex litteris Rev.* I. TAYLOR ad CAROL. *Epiſc. Carliſl.* p. 133.

28) *Methodus diminuendi quantitatem frictionis in machinis.* Auctore Cl. KEANE FITZGERALD. p. 139.

29) *Differentia longitudinis inter obſeruatorium Grenouicenſe ac Pariſinum, determinata ex obſeruationibus tranſituum mercurii per diſcum ſolarem, annorum* 1723, 1736, 1743 et 1753. a Cl. IAC. SHORT. p. 158.

30) *Relatio de piſce ſingulari, King-road prope Briſtol capto, ex litteris* Cl. IAC. FERGUSON ad TH. BIRCH *). Longitudinem quatuor pedum et quinque pollicum habebat. Os eius erat quadratum et amplif- p. 170.

*) Lect. d. 2. Iun. 1763.

ampliſſimum, dentes acutiſſimi, in tres ſeries ordinati. Lingua plane deerat. Ex ceruice duo cornua dura elaſtica ſatis longa procedebant. Pinnae duae ad capitis latera poſitae erant, poneque eas duo foramina ad oris cauum interius penetrabant. In cauda iterum duae aliae pinnae conſpiciebantur, quarum vna in dorſo, altera in abdomine ſita erat. Atque inter duas pinnas anteriores procedebant quaſi duo pedes breuiſſimi et plani, anterius in quinque digitos vnguibus tectos abeuntes. Color cutis, quae nullis ſquamis tegebatur, obſcurus erat, hinc inde tamen nigras oſtendebat maculas.

p. 173. 31) *Leges ac exempla determinandi caſus, in quibus radii lucis refractae in penicillum ſeu radium compoſitum, coloris expertem, vniri poſſunt, in litteris* Cl. P. MURDOCH ad Cl. ROB. SYMMER.

p. 195. 32) *Relatio de viribus corticis ſalicis contra febres intermittentes, ex litteris Rev.* EDMUND STONE ad Ill. MACCLESFIELD *). Species ſalicis, cuius corticem Cl. STONE adhibet, eſt *Salix vulgaris alba*. Sumit vero eum ex ramis minoribus trium vel quatuor annorum, qui craſſitiem 1 ad 4 pollices habent, ſiccatumque in puluerem redigi iubet. Huius pulueris ſcrupulum vnum vel duos quarta quaque hora inter paroxyſmos dat, aſſeritque, ſe hoc remedio plus, quam quinquaginta aegros, ſine vllo malo effectu inde ſubſequente perfecte ſanaſſe. In pertinaciſſimis morbis, inprimis in quartanis, addit pulueri corticis ſalicis, quem *corticem Anglicanum* dicere mauult, quintam partem corticis peruuiani, qui vires eiusdem corticis ita auget, vt aegri mox perfecte ſanentur. Nullo alio medicamento aegros ante corticem praeparat.

33) *Re-*

*) Lect. d. 2. Iun. 1763.

33) *Relatio de terrae motu in Sibiria, ex litteris* Cl. WEYMARN ad Cl. MOUNSEY. Communicata a Cl. HENR. BAKER. Accidit ille d. 28. nov. ſt. v. a. 1761. atque in vno eodemque temporis momento in ſpatio mille milliarium Ruſſicorum ſentiebatur. p. 201.

34) *Romanae inſcriptiones, quae Tuneti in Africa exſtant, deſcriptae circa annum* 1730 *a Doct.* CARILOS, *Medico Principis Tunetani, communicatae a* Cl. I. LOCKE. p. 211.

35) *Litterae* Cl. GEO. EDWARDI *ad* Cl. TH. BIRCH, *in quibus obſeruatio quaedam optica continetur.* Caſu ſe obſeruaſſe notat Cl. Auctor, vmbras rerum paullo infra ſuperficiem demerſarum ac natantium ab aere aquae incumbente fortius reflecti, quam obiecta in ſuperficie aquae ipſa conſtituta. Ex quo conſequitur, vt piſces ſub ſuperficie aquae ſtagnantis acquietae natantes videant ſimulacra ſua in aere pendentia, cum homines ſua contra in aqua percipiant. Haec hominum ſimulacra, quae in aqua apparent, Cl. Auctor cum ſpectris piſcium in aere adumbratis, ex legibus opticis diiudicat, et opinatur, neminem ante ſe hanc obſeruationem feciſſe. p. 229.

36) *Caſus duo chirurgici ſingulares, obſeruati a* Cl. FR. GEACH *), *communicati a* Cl. I. HUXHAM. Vir, quadraginta duorum annorum, ex vehementi ictu hypochondrio dextro illato in icterum incidit. Alvus ab initio laxa erat, deinde conſtipata, cutis admodum ſicca et flaua euadebat, atque frequenter ſanguis e naribus proſtillabat. Variis remediis ſine vllo effectu adhibitis, aeger tandem periit. Sectio cadaueris oſtendit, hepar magnitudine eſſe auctum, exte- p. 231.

*) Lect. d. 23. Iun. 1763.

exteriusque maiorem duritiem, quam in naturali ſtatu oſtendere, attamen non ſcirrhoſum erat, interius autem ſpongioſam fabricam habebat. Ductus biliarii omnes ligamenta quaſi referebant. Veſicula fellea cylindricam habebat formam, fibrae eius rigidae et albeſcentes erant, ſimilemque fabricam pylorus oſtendebat. Veſiculae felleae cauitatem exacte replebant ſex concretiones bilioſae, aquam grauitate ſua ſpecifica ſuperantes, quarum ſingulae pondus drachmae ſemis habebant, inerat tamen veſiculae quoque parua copia griſei cuiusdam liquoris ſaponacei. Concretiones deſcriptae inflammabiles erant, atque admixto iis acido nulla efferueſcentiae cuiusdam ſigna dabant.

p. 234. Alter caſus viri eſt, cuius oculus ſiniſter ad angulum externum ita acuto enſe vulnerabatur, vt vulnus per omnes oculi tunicas ad interiorem orbitae angulum vsque penetraret. A laeſione ſtatim omni ſenſu et motu priuabatur, hemiplegia in dextro latere affectus. Sequente die dexter oculus apertus erat, pupilla quam maxime dilatata, aegerque huius oculi ope nulla plane obiecta diſcernere poterat. Siniſter oculus, licet omnes ex eo humores effluxiſſent, oui tamen magnitudinem habebat, atque ex orbita prominebat. Aderat nulla plane febris, partes hemiplegia affectae viſcoſo ſudore madebant, ipſeque aeger lethargicus fere iacebat. Haec morbi facies per quinque menſes erat, quo tempore aluus magis conſtipata reddebatur, maxillae inferioris motus cum aliqua difficultate tantum ſuccedebat. Periculoſa vero haec ſymptomata ſubito ceſſarunt, miliaribus puſtulis in ſanioribus corporis partibus erumpentibus, a quo tempore omnia in meliorem ſtatum mutabantur. Viſus quoque in ſano oculo rediit, aegerque valeriana aliisque neruinis adhibitis ſenſim ſenſimque mouendi facultatem

tem in reliquis membris recuperauit. Loquitur tamen adhuc cum quadam difficultate. Ipſius vero oculi laeſi magnitudo fotu adſtringente applicato ſenſim imminuta eſt.

37) *Relatio de nouo colore ex baccis herbae cuiusdam in Carolina Auſtrali reperiundae, ex litteris* Cl. MOSIS LINDO ad Cl. EM. MENDEZ DA COSTA *). Plantae ipſius deſcriptio nulla hic datur. Vocatur ab incolis *Pouck*, et venenata eſſe dicitur. Lanei panni cum alumine cocti, atque ſucco huius plantae immiſſi, coccineo, atque ſi aqua calcis deinde additur, flaueſcente colore imbuuntur. p. 238.

38) *Recenſio eclipſeos ſolaris d. 1. aprilis 1764 obſeruatae, in litteris* ad Ill. MACCLESFIELD a Cl. IAC. FERGUSON datis. p. 240.

39) *Relatio de terrae motu, Chattigaon in India orientali obſeruato. Ex lingua Perſica translata a* Cl. EDW. GULSTON, *communicata a* Rev. HIRST. Accidit ille d. 2. aprilis 1762. atque ſoli faciem hinc inde quam maxime mutauit, cum aliis in locis colles ſubſiderent, in aliis hiatus in terra aperirentur et aquae fontes propullularent. p. 251.

40) *Deſcriptio terrae motus in India orientali, et duarum eclipſium ſolis atque lunae Calecutae obſeruatarum, in litteris* Rev. W. HIRST ad Rev. TH. BIRCH. p. 256.

41) *Epitome litterarum* Cl. EDW. GULSTON *ad* Cl. I. CARNAC. Relationem de eodem terrae motu, quo hae prouinciae afflictae fuerunt, continet. p. 263.

42. *Re-*

*) Lect. d. 10. Nov. 1763.

p. 265. 42) *Relatio de terrae commotionibus, in prouincia Islamabad ad. 2. ad 19. aprilis vsque 1762. obſeruatis, ex lingua Perſica translata et communicata a* Cl. VAN SITTART et Cl. VERELST.

p. 269. 43) *Litterae* Cl. THOM. BAYES *ad* Cl. I. CANTON, quae obſeruationem quandam de logarithmis continent.

p. 271. 44) *Relatio de inſecto quodam, quod vulgo muſca vegetabilis* (the vegetable Fly) *dicitur. Communicata a* Cl. WILH. WATSON. Vera ratio productionis huius naturalis, de qua multa fabuloſa tradita ſunt, vti patet ex Cl. HILL relatione, qui vlterius in hanc rem inquiſiuit, ſequens eſt. Reperitur in inſulis Americanis fungus quidam, qui *Clauariae* ſpecies eſt, atque a Cl. HILL *ſobolifera* dicitur. Creſcit vero ille vt plurimum in animalium cadaueribus. Cicadarum enim nymphae, *tettigometrae* dictae, ſe in terram infodiunt, atque ibi ſubinde pereunt. Illarum cadaueribus haec clauariae ſpecies nonnunquam innaſcitur, hincque oritur productio ſingularis inſecti, quod arbuſculum in corpore ſuo gerit *).

p. 274. 45) *Tentamen explicationis Punicae cuiusdam inſcriptionis, in inſula Melitenſi repertae, ex litteris* Rev. I. SWINTON *ad* Rev. TH. BIRCH.

p. 294. 46) *Problemata* Cl. EDW. WARING, Profeſſ. Mathem. in Acad. Cantabrigienſi.

p. 300. 47) *Disquiſitio altera de parallaxi ſolis, determinata ex obſeruationibus nuperi tranſitus veneris per ſolem, in qua ea vberius demonſtratur, et quantitas parallaxeos*

*) Conf. quoque Cl. EDWARDS *Gleanings* Vol. III. p. 262. tab. 335. vid. Comment. Vol. XIII. P. I. p. 123.

rallaxeos ſolis horizontalis certior redditur. Auctore Cl. IAC. SHORT.

48) *Relatio caſus, in quo cicutae recens herba adhibita eſt, ex litteris* Cl. IOS. COLEBROOK *ad* Ill. WILLOUGHBY *). Auctoris auxilium menſe ſeptembr. a. 1762 efflagitabat mulier quinquaginta quinque annorum, quae ſcirrhos in vtraque mamma habebat, qui ouum magnitudine ſuperabant. Aderant ſimul dolores lancinantes et appetitus plane proſtratus. Commendauit huic aegrae herbae cicutae recentis vſum, cuius quindecim grana vna cum pane et butyro quotidie ſumſit. Pro potu vſa eſt aqua calcis et lacte, ac ſimul millepedes adhibuit, haud neglecto purgantium et laxantium vſu, atque applicatione fonticuli in brachio ſiniſtro. Ipſa autem aegra, cum ab eo tempore, quo cicuta vti coeperat, leuamen dolorum ſentiret, doſin huius plantae auxit, eo quidem cum effectu, vt ei menſtrua, quibus per multos annos caruerat, profluerent, ſcirrhorumque magnitudo et dolores lancinantes inſigniter minuerentur. Circa finem menſis nouembris dolores redibant et totius morbi ſtatus quodammodo in peius mutabatur, ſed mox cicutae vſu per aliquot dies intermiſſo, cortice Peruuiano exhibito, doſique cicutae in vniuerſum quodammodo imminuta, ſanationis ſpes iterum augebatur. Circa finem a. 1763 ſcirrhi valde imminuti erant, ac mulier de reliquo optima gaudebat valetudine. Eo vero conſilio hanc morbi hiſtoriam cum Societate communicauit Cl. COLEBROOK, vt alios quoque medicos ad ſimilia tentamina cum ipſa herba cicutae inſtituenda excitaret, ea qua plus, quam ab ipſo extracto Stoerckiano exſpectat. p. 346.

 49) *Re-*

*) Lect. d. 15. Dec. 1763.

p. 351. 49) *Relatio de meteoro ſingulari, in litteris* Cl. SAM. DUNN *ad* Rev. TH. BIRCH. Speciem parelii deſcribit, qui per plures dies autumnali tempore 1761. apparuit.

p. 353. 50) *Relatio de corde per ictum laeſo.* Auctore Cl. M. AKENSIDE *). Puer, 14 circiter annorum, non nimis vehementi ictu percellebatur, cuius tamen effectus is fuit, vt patina, quam puer ſub brachio portabat, inter duas coſtas paullulum imprimeretur. Afficiebatur ſtatim vehementiſſimis doloribus, cordisque palpitatione tanta, vt ſubinde mortis periculum incurreret. Pulſus celer, debilis et inaequalis, non tamen proprie intermittens erat. Accedebat tuſſis et frequens haemoptoë, tandem, his malis per 6 menſes toleratis, aeger ſubito periit. Sectio cadaueris docuit, nullum adeſſe aneuryſma, cuius tamen ſuſpicionem medici habuerant, ſed in apice ventriculi ſiniſtri cordis liuida erat macula, contuſa, ſphaceloſa, quae corruptio fere ad cauum vsque ventriculi penetrabat. Reliqua quoque ventriculi huius pars haud obſcura corruptionis et inflammationis ſigna dabat. Cor vero pericardio, illudque iterum pulmonibus adhaerebat.

p. 356. 51) *Ratio conficiendi nitrum in Podolia,* Auctore Cl. WOLF, *communicata a* Cl. HENR. BAKER **). Magna nitri, quod in Europa adhibetur, pars ex Podolia et Vcrainia aduehitur, atque in hiſce regionibus elixiuatione ex humo et cineribus obtinetur. Incultae ſcilicet hae et deſertae regiones ad paucorum pollicum profunditatem teguntur humo leui, facile in aqua ſolubili, ſubrubra vel nigra, cui calcarea aut cretacea terra, conchyliis plena, ſubiacet. Eligunt

*) Lect. d. 22. Dec. 1763.
**) Lect. eod. die.

Eligunt vero terram potiſſimum bene nigram, tactu leuem, non ſabulo commixtam, ſed friabilem, pinguem et efflorescentia nitroſa tectam: hinc eam potiſſimum ex iis locis ſumunt, vbi ſuſpicio quaedam eſt, oppidum quondam fuiſſe, vel pagum, vel ſtabulum vel coemeterium. In vicinia loci, vbi copia terrae huius adeſt, furnum operarii ex terra effodiunt, et in eo ahenum aeneum magnum collocant. Ad hanc officinam terram effoſſam vehunt, eique, ſi maxime nitro diues eſt, aliam minus diuitem ſiue pure vegetabilem admiſcent, addunt porro quintam circiter cinerum partem, omniaque bene ſubigunt et miſcent. Si vrina vel matrix nitri ſuperabundans adeſt, hanc quoque addunt. Terram ita praeparatam doliis tandem immittunt, et aqua addita lixiuium parant, quod addita matrice nitri in aheno per 24 fere horas coquunt, tandemque in alueos planos transfundunt, vbi cryſtalliſatio obtinetur. Ex 400 circiter pedibus cubicis terrae nitroſae obtinent circiter 40 libras nitri puri, terramque, ex qua nitrum extractum eſt, iterum per annos ſeptem relinquunt, quo tempore nouum exinde parare ſolent nitrum. Addit Cl. WOLF quasdam p. 363.
cogitationes circa originem nitri, inprimis acidi eius. Acidum hoc non ex aere oritur, nec ab acido vitriolico vniuerſali generatur, ſed ex regno vegetabili et animali originem ducit, atque in origine ſua cum alcali volatili coniunctum eſt.

52) *Tentamen ſoluendi problema ad doctrinam pro-* p. 370.
babilium pertinens. Auctore Cl. BAYES, communicatum a Cl. PRICE, *in litteris ad* Cl. I. CANTON.

53) *Relatio de pennatula phoſphorea* LINN. *cum* p. 419
deſcriptione nouae pennatulae ad littora Carolinae auſtralis repertae, et obſeruationibus de pennatulis in vniuerſum.

uerſum, *in epiſtola* Cl. I. ELLIS ad Ill. COOTE MOLESWORTH *). Deſcribitur primo a Cl. ELLIS illa *pennae marinae* ſpecies, quam LINNAEUS ob lumen, quod nocturno tempore diffundit, *phoſphoream* dixit. Quatuor ad octo vsque pollices longa eſt, figuraque eius cum calami ſcriptorii figura ſatis conuenit. Pars inferior, quae nuda eſt, album oſtendit colorem, ſuperior, ex qua laterales rami prodeunt, rufeſcentem contra obtinet. In medio canalis eſt, ad apicem vsque productus, cuius tamen finem vtrumque clauſum eſſe, eumque nullam in inferiore parte aperturam habere, Cl. ELLIS contra LINNAEUM probat, qui ſcilicet credit, habere pennam in baſi ſua os commune. A latere huius canalis rami prodeunt, quorum ope animal in aqua non ſolum mouetur, ſed et nutritur, cum vbique in his ramis orificia dispoſita ſint, in quibus corpuſcula ſugentia (*Suckers*) filamentis circumdata collocata ſunt, vt itaque huius animalis fabrica cum fabrica *hydrae archiae* ſeu *polypi Groenlandici magni*, ab Auctore ante aliquot annos deſcripti **), maxime conueniat.

His praemiſſis, Cl. ELLIS ex Cl. BOHADSCH eleganti opere ***) adducit ea, quae ille de pennis marinis propoſuit. Secedit tamen ab eius ſententia in eo, quod *manum* ſic dictam *marinam*, ſiue *alcyonium digitatum*, ex pennarum marinarum numero, ad quas BOHADSCHIUS illud iterum retulerat, remoueat, oſtendatque, illud ob internam ſtructuram et ex eo, quod non libere in mari natet, ſed baſi ſua ſolido alicui corpori adhaereat, ad madreporas magis pertinere. Addit in fine deſcriptionem nouae cuiusdam et elegantiſſimae ſpeciei pennatulae, quam *renifor-*

*) Lect. d. 22. Dec. 1763.

**) vid. *Eſſay on the Coralines* p. 96. et Comment. hor. Vol. V. p. 526.

***) vid. Commentar. noſtr. Vol. XI. p. 501.

reniformem ob figuram dicit. Corpus eius pollicis longitudinem habet, atque cauda eiusdem longitudinis ex media eius parte procedit. Illa exterius multis annulis distincta est, interius vero canalem continet, qui, vti supra de pennatula phosphorea iam diximus, etiam in extremo coecus est. Superior corporis pars conuexa est, omnisque eius superficies multis orificiis obtegitur, stellaeformibus, per quae etiam fugentia corpuscula (*the suckers*), sex tentaculis aut filamentis instructa, procedunt. Inferior vero pars plana est, fibrasque carnosas plures ostendit, quae in loco insertionis caudae in corpus ortae super totam eius superficiem disperguntur. Ad hanc pennatularum historiam tres tabulae aeneae pertinent. In earum prima, quae tabula XIX totius huius voluminis est, *pennatula phosphorea* L. et haec, quam vltimo loco descripsimus, *pennatula reniformis* ELLISII depingitur. Secunda continet figuras pennarum, a BOHADSCHIO descriptarum, *rubrae* scilicet, *griseae*, *caudae pauonis* et *alcyonii digitati* seu *manus marinae*. Addidit ELLISIUS figuram, in qua manus marina, horizontaliter et perpendiculariter dissecta, eo consilio delineatur, vt appareat, eam ad madreporas magis, quam ad pennas referendam esse. In adiecta nota suspicatur, spongias non, vti Cl. PEYSSONEL proposuit, polyporum esse productum, sed totam spongiam vnum esse animal, foraminaque in superficie posita tot ora vnius eiusdemque animalis esse. In *spongia, medullam panis referente*, mamillas et orificia vidit aperiri et claudi, sine vlla corporum fugentium productione. Adiectae sunt quoque in hac tabula figurae *pennatulae filosae*, *sagittae* et *mirabilis* ex BOCCONE et LINNAEO sumtae. In tertia tabula iterum *pennatula rubra* et *grisea* et accuratius quidem, quam a Cl. BOHADSCH factum est, delineantur. Addita est figura nouae

cuiusdam ſpeciei, quam ob analogiam formae, *digitiformem* ſiue *cynomorion* dicit. Haec in ſuperiore ſua parte circularia orificia oſtendit, ſugentibus corporibus inſtructa, interius vero nuda eſt.

p. 436. 54) *Litterae* Cl. WILSON *ad* Cl. AEPINUM *). Cl. WILSON *in litteris ad* Cl. HEBERDEN ſingulare deſcripſerat experimentum, ex quo euidenter conſequi putauerat, vitream electricitatem eſſe poſitiuam, reſinoſam vero negatiuam. Cl. AEPINUS partim in examine theoriae electricitatis et magnetiſmi, partim in ſuo ſermone de electricitate negat, cognita eſſe experimenta, ex quibus liquido conſtet, quaenam duarum ſpecierum electricitatis eſſet negatiua, quaenam poſitiua, ac variis argumentis docet, nec ex Ill. CAROLI CAVENDISH experimentis, nec ex Cl. WILSONII tentaminibus hoc extra dubium poſitum eſſe. Haec itaque AEPINI argumenta primo Noſter diluit, deinde in iisdem ſcriptis Cl. AEPINUS de impenetrabilitate vitri, a Cl. FRANKLIN ſtabilita, ita ſtatuit, vt eam quidam agnoſcat, ſed in pluribus in diuerſam abeundo ſententiam experimentis doceat, electricitatem quidem per vitrum aliaque corpora per ſe electrica, ſed multo difficilius ac tardius tranſire, quam per corpora per ſe non electrica. Proinde opinatur, hanc, quam in corporibus per ſe electricis obſeruauit proprietatem, eſſe eam, cui a FRANKLINO impenetrabilitatis vitri nomen eſt inditum. Hanc ſententiam Cl. WILSON examinando docet, Cl. AEPINUM negare re ipſa impenetrabilitatem vitri, a Cl. FRANKLIN aſſertam. Tandem Cl. AEPINUS in illis ſupra citatis ſcriptis aſſeruerat, experimentorum cum lapide turmalino, a Cl. WILSON traditorum, primum et ſecundum cum ſuis conſentire tentaminibus, reliquorum vero nullum

*) Lect. d. 23. Dec. 1763.

lum cum ſuis experimentis, multoque minus cum ſua electricitatis theoria conuenire. Cl. WILSON argumenta illa diluit, nouaque experimenta Cl. AEPINI tentaminibus opponit.

55) *Diſſertatio de parallaxi ſolis*, Auctore Cl. TH. HORNSBY. p. 467.

56) *Diſquiſitio de loco geometrico trium vel quatuor linearum inter geometras veteres maxime celebri.* Auctore Cl. H. PEMBERTON, *in litteris ad* Cl. TH. BIRCH. p. 496.

XII.

La verità del Diluvio univerſale vindicata dai dubbii, e dimoſtrata nelle ſue teſtimonianze. Eſame critico dell' Avvocato GIUSEPPE-ANTONIO COSTANTINI, Autore delle Lettere critiche. Seconda Edizione, in cui ſi è aggiunto un Trattato Apologetico-Critico dello ſteſſo Autore a difeſa della ſua Diſſertazione intorno alla forza impellente de' Turbini, o Vortici aerei, detti volgarmente Scioni, o Biſciabove, ſopra quanto hà ſcritto in contrario il M. R. P. RUGGERO-GIUSEPPE BOSCOVICH della Compagnia di Geſù. Con Figure in rame. In Venezia, 1761, preſſo Giambatiſta Novelli. 4. 514. pag. et 130 pag. append. cum tab. aen. 3.

h. e.

Veritas diluuii vniuerſalis vindicata, et ex indiciis eius demonſtrata, a IOSEPHO ANTONIO CONSTANTINO. Editio ſecunda, cui

acceſſit Defenſio diſſertationis de vi propellente vorticis aerei ſeu typhonis aduerſus R. P. BOSCOVICHII obiectiones.

Occaſionem huic ſcriptioni dedit lectio diſſertationis epiſtolicae, quam olim ANTON. VALLISNERUS *de corporibus marinis in montibus* edidit. Quum enim Cl. CONSTANTINVS videret, Auctorem illius diſſertationis veritatem diluuii vniuerſalis multis dubitationibus impugnare, ipſe de huius facti veritate perſuaſus eam et contra VALLISNERI et contra aliorum dubitationes tutari inſtituit. Sic nata eſt huius libri *Pars prior*, quam in VI ſectiones partitus eſt.

In I ſectione Auctor principio monet, multas dubitationes inde ortas eſſe, quod diluuio Noachico affecti fuerint effectus, quorum cauſſae alibi quaerendae erant. Sic montes a diluuio illo fuiſſe productos, et telluris ſtructuram, praeterquam in ſuperficie, mutatam fuiſſe, negat. Deinde ſtatum cauſſae ſic format, vt corpora marina, in locis planis non longe a mari diſtantibus reperiunda, ab illis diſtingui iubeat, quae prope vertices montium procul a mari reperiuntur. Concedit, illa quidem cur ibi conſpiciuntur rationem reddi poſſe, ſine diluuio vniuerſali, ex receſſionibus vicini maris, quum limus et lutum a turbidis fluuiis, in mare influentibus depoſitum littora exaltauit paullatim, et fines continentis prorogauit. Sed, quomodo haec ad vertices montium in variis terrae regionibus peruenerint, intelligi poſſe negat, diluuio vniuerſali negato. Eorum enim ſententiam, qui ſtatuunt, maximam terrae continentis partem olim mari tectam fuiſſe per longum temporis ſpatium, et progreſſu temporis paullatim retectam, mari ſeſe in arctiores limites continue recipienti, firmo negat fundamento niti.

Con-

Contra ea in diluuio vniuerſali fieri potuiſſe docet, vt et conchylia atque inanimata corpora marina, ſuis ſedibus vehementi maris agitatione excuſſa, ad montium cacumina fluctibus eleuarentur, et piſces eo vsque vel viui ſponte eſcenderent, vel alliſu ad ſcopulos occiſi eueherentur, aut ſaltim tam illorum quam horum oua et ſemina initio diluuii eo deferrentur, quae, quum aquae per plures menſes altiores etiam montes contexerint, ibi creſcere potuerint. Deinde, quoniam vix dubium eſt, quin aquae diluuii illius continuum fluxum et refluxum habuerint, intelligi poſſe monet, cur corpora marina in diuerſis ſtratis montium reperiantur, ob depoſitam nempe in vnaquaque inter fluxum et refluxum mora limi copiam.

In II ſectione Auctor ad VALLISNERI dubitationes; et aliquot, quas ſibi ipſe mouet, ſigillatim ſtrictimque reſpondet, plura in ſequentibus ſectionibus additurus. p. 64.

Hinc in III ſectione pergit ad exponenda quaedam indicia diluuii Noachici, adhuc obuia, licet non obſeruata, vel ſaltim, vt putat, non deſcripta. p. 90.

Loquitur de montibus per medium ruptis, et praecipue deſcribit vallem *Brentanum*, a fluuio, qui per illum fluit, ſic dictum, et per 60 circiter milliaria Italica inde ab oppido *Baſſano* vsque in viciniam *Tridenti* inter partes disrupti montis, ad inſtar murorum ſibi inuicem oppoſitas, extenſum; porro etiam vallis *Bellunenſis*, et quorundam aliorum huiusmodi vallium, in ditione Veneta ſitorum, mentionem facit. Hosce valles a fluuiis, per eos labentibus, excauari potuiſſe, neminem, qui eos attente contuitus fuerit, perſuadere ſibi poſſe monet. Obſeruauit quoque ante fauces eorum poſitos colles, ab ea parte, quae montes ſpectat, praeruptos, ab altera parte leniter decliues, ex arena et ſilicibus rotundis variae magnitudinis, terrae tophaceae non nusquam

nusquam immiſtis, conſtantes; et alicubi in campis, illis collibus vicinis, aceruos plurimos arenae et minorum ſilicum rotundorum hic illic ſeparatim poſitos vidit. Quum rotunditas horum lapidum doceat, eos ab aqua, violenta cum agitatione fluente, eſſe tornatos; quum fluuiorum, per illos valles fluentium, exundationi incredibilis iſtorum lapidum multitudo, et mira diſpoſitio, tribui nequeat; quum in hiſtoria nullum occurrat veſtigium ingentis inundationis, quam iſta loca paſſa fuerint: recte ſibi videtur Auctor concludere, cauſſam rei in diluuio vniuerſali eſſe quaerendam. Hinc, quomodo iſta omnia in hoc diluuio effici potuerint, explicare allaborat.

p. 121. Sectio IV deſtinata eſt potiſſimum tollendae dubitationi, quae VALLISNERO aduerſus veritatem diluuii vniuerſalis ex conſideratione multitudinis ſpecierum inſectorum et plantarum, in arca Noachi conſeruandarum, nata erat. Quod ad inſecta attinet, Auctor negat, neceſſe fuiſſe, vt omnium inſectorum, quae in aquis viuere nequeunt, aliquot paria in arcam ingreſſa ſint; credit enim, illa in ouulis et chryſalidibus ſuis, aut in ipſis aquis natantibus, aut ad ligna natantia affixis, aut ſub terra paullo altius depoſitis, conſeruari, vel etiam ſponte regenerari potuiſſe. Scilicet non pudet eum confiteri, valde dubium ſibi adhuc eſſe recentioris philoſophiae dogma, quod vult, omnia ex ouo vel ſemine generari, neque piget, contra illud multa disputare. De plantarum autem ſpeciebus monet, eas per germina, vel radices, vel ſemina in terra latentia potuiſſe conſeruari, aut per germinatricem terrae virtutem reſtitui.

p. 161. In V ſectione explicare conatur modum, quo aquae diluuii terram continentem vniuerſam inundare potuerint. Fontes abyſſi magnae, quos *Moſes* memo-

memorat, existimat fuisse ipsum oceanum, cuius vndae vehementibus ventis, sub vtroque polo excitatis, versus mediterraneas partes propulsae fuerint; praeterea sumit, omne coelorum immensum spatium, super atmosphaera telluris, plenum esse aquae, in vapores resolutae; horum vaporum tempore diluuii condensatorum ingentem copiam in imbribus descendisse, idque Scriptori sacro cataractas coeli esse putat. Multus est in hac sua opinione stabilienda et defendenda; vbi inprimis plurimum negotii ipsi facessit systema *Copernicanum*. Nam, vt alia taceamus, metuit, ne rapidus telluris motus eam decidentibus aquis supracoelestibus subtraxerit, si hoc systema sit verum. Qui metus admodum vanus nobis videtur, propterea quod illis assentimur, quibus fictas esse ipsas istas aquas supracoelestes, et ex sinistra verborum *Mosis* interpretatione natas, plane persuasum est.

In VI sectione operam dedit, vt ostenderet, p. 193.
apud omnes fere gentes antiquas superfuisse traditiones de diluuio vniuersali; et his quoque eam, quam apud Mexicanos THEODORUS DE BRY (in commentariis de rebus Americanis) deprehensam fuisse narrat, adiungere operae pretium putauit.

Pars altera huius libri aduersus ANT. LAZA- p. 269.
RUM MORUM scripta est, qui statuit, principio montes quosdam altissimos ex superficie telluris sphaerica, adhuc obtecta aquis, eleuatos fuisse vi subterranei ignis, eosque ipsos fuisse igniuomos; materiam ex his montibus eructatam in fundum maris defluxisse, et haerentia ibi conchylia et alia corpora marina contexisse; eorum locorum nonnulla postea simili ignis interioris actione vltra superficiem aquarum fuisse proiecta, et montes sic natos esse secundarios, iterum igniuomos, ex quibus euomita diuer-

so

ſo tempore materies, diuerſa ſtrata terrae in planis regionibus formauerit. Hanc hypotheſin, ad explicandam originem ſtratorum in ſuperficie telluris, et corporum marinorum petrefactorum in montibus, excogitatam, quam eius inuentor magna fiducia pro veritate haberi voluit, Cl. CONSTANTINUS diligenter examinat; et ſimul praeclare oſtendit, tam infirmo eam niti fundamento, tam aduerſam eſſe narrationi *Moſis*, experientiae, et hiſtoriae naturali, tam multa quoque continere ſecum inuicem pugnantia, vt prorſus ſit reiicienda. Sub finem libri reprehendit etiam nonnulla in WOODWARDI ſyſtemate, tandemque attingit opinionem quorundam, qui conchylia et corpora marina e fundo maris per vortices aereos, *typhones* dictos, extrahi, et in montes aſportari potuiſſe crediderunt. Docet autem primum, typhones, etiamſi vis attractrix illis concederetur, non poſſe eſſe huius rei cauſſam propterea, quod, vt alias rationes praetereamus, illi nunquam a mari, ſuper quo oriuntur, longe verſus mediterranea loca recedant, neque in auſtralibus telluris regionibus appareant, neque etiam corpora marina recens per ſuperficiem terrae continentis diſperſa reperiantur, quum tamen typhones in multis maribus fere quotidie exiſtant; deinde vero commonſtrat, neutiquam attribui poſſe typhonibus vim attrahendi aquam ex ſuperficie maris, nedum corpora in fundo eius fixa. Hunc autem errorem natum eſſe monet in libris quorundam Phyſicorum ex imperfecta huius meteori, quam nautarum vulgus habeat, notione, et eorundem falſis narrationibus. Ipſe illud ſe ſaepius in mari Adriatico non modo vidiſſe, verum etiam e locis editioribus in littore diligenter obſeruaſſe, ait, nunquam autem deprehendere potuiſſe monticulum illum aqueum, quem ab inferiori orificio tubae ſeu buccinae, cuius figuram

typhon

typhon habet, attrahi fingant, vidiſſe potius ſub hoc orificio depreſſam maris ſuperficiem, et actam ibi in vorticem aquam maris; quod argumento eſt, ventum, qui nubem ad inſtar tubae extendit, ex inferiori illo et anguſto orificio exire, vi magna impellente praeditum, et igitur vim attractricem hic temere fingi. Sed et aliis rationibus, fictam eſſe hanc vim, et per rei naturam impoſſibilem, oſtendit. Quoniam autem contra hanc Auctoris ſententiam Cel. BOSCOVICHIUS, in commentatione de turbine Romae anno 1749 obſeruato, eodem anno edita, nonnulla monuerat, et vim attractricem typhonis defenderat: Auctor huic ſuo libro, in hac noua editione, adiecit prolixam aduerſus BOSCOVICHIUM apologiam, in qua demonſtrat, neque ſuam ſententiam ab hoc Viro docto euerſam, neque contrariam euictam eſſe. Sed haec de hoc libro dixiſſe ſufficiat, qui quidem multa continet bonae frugis, ſed multo tamen magis commendabilis, vt nobis videtur, reddi potuiſſet, ſi Auctor breuitatis et boni ordinis fuiſſet ſtudioſior. Quasdam enim inueteratas opiniones ſuperioris ſeculi, noſtri demum ſeculi luce deletas, ſenectuti Auctoris facile condonamus.

XIII.

Elemens d'Agriculture par M. DUHAMEL DU MONCEAU de l'Acad. royale des Sciences, a Paris chez H. L. Guerin et L. F. Delatour. 1762. 12. Tom. I. Alph. 1. tab. aen. 4. Tom. II. pl. 18. tab. aen. 10.

i. e.

Elementa agriculturae. Auctore Cl. DUHAMEL DU MONCEAU.

Cel Auctor, qui iam antea ſummam, ob egregiam doctrinam patriaeque amorem, laudem inter eruditos

ditos pariter ac ciues merito obtinuit, nouo hocce ſpecimine oſtendit, eruditorum labores non vanis disceptationibus, vti multi autumant, tantum conſumi, ſed maximam quoque ex eorum ſtudiis ad reliquos ciues redundare vtilitatem. Cum enim multi, oeconomicum ſtudium ſedulo colentes, a Cel. DUHAMEL exigerent, vt praecipua, quae ad augmentum huius ſtudii pertinent, ex maiori opere *) colligeret, et in ſyſtema ac compendium, vti loqui amant, redacta communi vitae vſui magis accommodata redderet: eorum precibus ita annuit, vt non dubitamus, quin deſiderium eorum ſatis abunde praeſenti hoc opere expletum ſit. Phyſicis enim principiis totum hoc agriculturae ſyſtema ſuperſtruxit, atque illud egregiis ſuis experimentis vbique auxit. Ita vero in hoc opere verſatus eſt, vt primo de plantis earumque partibus, vegetationisque mechaniſmo et agris in genere differat, deinde oſtendat, quaenam optima ſit agrorum emendandorum ratio, qualia ſint eligenda ſemina, quomodo ea terrae committenda, fruges-que colligendae ſint; tandemque disputet de pratis eorumque cura, variarumque aliarum plantarum cultura, quae non minus in communi vita vtiles ſunt, v. c. *rubia, iſatide cet.*

Ipſi quoque operi, eo loco, vbi de ſeminibus eligendis diſſerit, tractationem de morbis, quibus ſemina corrumpi ſolent, et inſectis agris noxiis inſeruit, vt reliqua, quae magis ad oeconomicum vſum ſpectant, taceamus.

*) vid. Traité de la Culture des Terres, Tom. I - VI. a Paris 1752-1761. 8.

XIV.

Noua phyſico - medica.

Regiam Academiam Chirurgorum *Pariſinam* anno 1760 primum, deinde 1761 problema de contraſſuris oſſium capitis propoſuiſſe, praemium vero huic deſtinatum, hoc ipſo demum anno exhibitum, reportaſſe Cl. virum, GRIMA, Chirurgiae Magiſtrum Florentinum, Membrum Academiarum Botanicae Florentinae, et Cortonenſis, quae ab hiſtoria naturali nomen gerit, Profeſſorem et Demonſtratorem Anatomiae et Chirurgiae, Chirurgum et Inſpectorem Primarium noſocomiorum Clericorum, Archiatrum Supremi Magiſtri ordinis equitum Melitenſium, ex praecedentibus *) notum eſt. Maximi tamen quum haec res ſit momenti, nec dum in acceptis commentariis fuerit confecta: non dubitauit Academia eandem eruditis denuo commendare, penitiorique eius rei inueſtigationi nouum et duplicatum proponere praemium. Liquet vero hoc eſſe propoſitum thema, vt condatur theoria contraſiſſurarum, quae fiunt in laeſionibus capitis, et vt inde eruantur ea, quae prodeſſent ad praxin, (*établir la theorie des contrecoups dans les léſions de la tête; et les conſéquences pratiques, qu'on peut en tirer*). Sub vocabulo theoriae contraſiſſurarum intelligit Academia earum naturam, differentias, cauſſas, ſymptomata, ſigna diagnoſtica et prognoſtica, tandemque curationem. Neminem quoque latet, contraſiſſuras oſſium capitis eas appellari laeſiones, quae quidem ab ictu vel alia vi, oſſa cranii percutiente, producuntur, quae vero non in percuſſa, ſed oppoſita, vel ſaltim remota parte reperiuntur. Vt vero difficili

*) In hoc ipſo volumine pag. 349.

cili hac in re ſcientibus ſuccurreretur, viaque pa[ra]deretur, quam ingredi poſſent, qui operam conficiendae huic rei ſint nauaturi, Cl. LOUIS, quem conſtat Academiae ab epiſtolis eſſe, libellum vulgauit, in quo ex optimis ſcriptoribus ea collegit, quae propoſitam rem illuſtrant *). Hunc itaque librum conſulendum ſuadet Academia. Praemium duae ſunt

*) *Recueil d'obſervations d'anatomie et de chirurgie; pour ſervir de baſe a la théorie des léſions de la tête par contre-coup a Paris. chez P. G. Cavelier, rue S. Jacques, au Lys d'or*; 1766. 8. pagg. 270. En libelli elenchum. Continetur 1) introductio, in qua rei dignitas et huius collectionis ratio explicatur. 2) Sermo, quem habuit Cl. LOUIS ab initio publici conuentus, die 10 menſis aprilis huius anni 1766. celebrati, in quo de problematis huius natura et de commentariis exponitur, quos Academia tum prima, cum vltima vice, acceperat. Priorum (1761) fuerunt vndeuiginti, poſteriorum vero viginti ſex. Vtroque tamen tempore commentarios Cl. GRIMA prae caeteris palmam promeruiſſe narratur. 3) Epitome litterarum Cl. dum viueret, viri, FR. POURFOUR DU PETIT, in quibus nouum cerebri ſyſtema is propoſuerat. Litterae hae, ſuppreſſo auctoris nomine prodierunt 1710, ita inſcriptae: *Lettres d'un Medecin des Hopitaux du Roi a un autre Medecin. à Namur*, 4. 4) Locus aliquis ex VALSALVA. (VALSALVAE *opp. Venetiis*, 1740. *Tr. de aure hum. cap. V. p.* 68. 69). 5) MORGAGNI ſuper hoc VALSALVAE loco commentarii (MORGAGNI *epiſt. anat. XIII. ad tr de aure hum.* §. 14 - - 24. *eiusd. editionis, pag.* 488 - 503. 6) MORGAGNI animaduerſio de cauſſa et diagnoſi hemiplexiae. (*Eiusd. Aduerſar. anatom. VI. Animadv.* 86. *Patav edit.* 1719. *pag.* 108. *ſeq.* 7) SANTORINI obſeruationes anatomicae, *Cap. III.* §. 12. *p.* 61) 8) WINSLOWII expoſitio anatomica. (*Traité de la tête*, §. 109. 110). 9) De Bononienſi Scientiarum et Art. Inſtituto atque Academia Commentar. Tom. I. pag. 139. 10) GEORG. CONR. THON Diſſ. inaug. ſub. praeſid L. HEISTERI propugnata, de apoplexia magis chirurgicis, quam aliis medicamentis curanda.

ſunt monetae aureae, ſingula quingentarum pondo Gallicarum (500 *livres*), vel exhibebitur vnica tantum modo, et pretium alterius in monetis vulgaribus ſoluetur, pro arbitrio illius, qui promeruerit. Vt vero commentarii latina vel gallica conſcribantur lingua; vt mittantur ad Cl. LOUIS, et vt nomina auctorum in adiectis ſchedulis, ſigillo obſignatis celentur, miſſi vero commentarii ſolummodo ſententia aliqua ſignentur, quae itidem nomini celato apponenda ſit; ideo repetere ſuperfluum ducimus, quod ſaepiſſime a nobis iam narratum eſt. Hoc ſaltim reticeri nequit, Academiam commentarios ante finem ſequentis anni 1767 exſpectare, et poſt feſtum Paſchatis 1768 ſententiam ſuam de iis eſſe declaraturam.

Eadem Academia et illud praemium, quod ex annuis legati b. DE LA PEYRONIE reditibus paratur, et moneta eſt aurea ducentarum pondo Gallicarum, more conſueto ei promiſit, qui ſequenti anno de materia quadam, pro cuiuslibet lubitu ex omnibus chirurgiae doctrinis eligenda, optimum conſcripſerit, eique miſerit tractatum. Omnibus tum exteris, cum indigenis, ne modo ſint membra ipſius Academiae, venia eſt data hoc praemium quaerendi. Eodem vero die, quo de ſuperiori, etiam de hoc praemio decretura eſt Academia, eique auctori adiudicatura, cuius tractatus eo prae caeteris dignus fuerit habitus. Quinque reliqua praemia minora pertinent modo ad indigenos.

Eo nuper die 10 menſis octobris Academia *Theodoro-Palatina* fruita eſt gaudio, vt eius conuentui publico ipſe Sereniſſimus Princeps et Elect. Palatinus, CAROLUS THEODORUS, pro ſingulari amore, quo ſcientias et artes proſequitur, interfuerit. Conſtitutus erat hic conuentus ſententiae ferendae

rendae de iis ſcriptis, quae tradita fuerant Academiae ſuper problemate *) : num lithanthraces ad mineras quaslibet vel ſaltim ferri vſtulandas coquendasque adhiberi poſſint. Quum vero id vnicus tantummodo explicare conatus fuerit, nec ille quidem exſpectationem Academiae expleuerit, ea nondum exhibuit promiſſum praemium.

Illius autem problematis phyſici, quod ab *Eadem* Academia in ſequentem annum eſt propoſitum, et quod rei alicuius inuentionem exigit, ex qua itidem ac e cobalto praeparari poſſet pigmentum illud coeruleum, quod ſmaltum dicitur, alio tempore **) a nobis facta eſt mentio.

Nouo etiam problemate *Eadem* Academia rerum phyſicarum peritis occaſionem dedit, vt habeant, in quo explicando et ingenii vires exercere, et ad nominis famam adſpirare poſſint. Vt etiam neceſſarium ſuperſit tempus rei inquirendae et experimentis comprobandae, vult Academia. vt hoc problema pertineat ad annum 1768. Ea vero optat, vt *noua excogitetur methodus, cuius ope mercurius e mineris ſuis poſſit elici, quae minores exigat ſumtus, nec tanta cum ipſius mercurii iactura ſit coniuncta, quam hactenus vſitata.* Ante calendas menſis iulii ſingulorum annorum commentarii conſcripti ad Cl. LAMEY, Secretarium Academiae ſunt mittendi; reliquas, quas obſeruare conuenit, leges vide ſuperius ***).

Quae in *Auſtria* ſub auſpiciis Auguſtiſſimae Imperatricis, MARIAE THERESIAE, floret Societas, in rei ruſticae augmentum conflata, haud ita pridem binas propoſuit quaeſtiones, vt ſcientes et rerum oeconomicarum periti ad eas reſpondeant. Singulae

*) Comment. hor. Vol XII. p. 163.
**) Ibid. Vol. XII. pag. 721.
***) Ibid. Vol. XII. p. 162.

lae earum praemium conſtitutum eſt florenorum centenorum quinquaginta, quos ex aerario commerciali Graecenſi accipiet is, qui quaeſitas res explanauerit optime. Primum quaeritur, *quae ſit cauſſa, cur variae Stiriae partes tam exiguum et debile habeant pecus, et quibus auxiliis robuſtius poſſit produci.* Deinde: *quibusnam remediis prophylacticis pecus a lue peſtifera poſſit defendi, et, ſi ea nihilominus corriperetur, quae remedia ſingulo morborum peſtiferorum generi ſint opponenda.* Reſponſiones ad priorem quaeſtionem Societas exſpectat ante calendas menſis februarii ſequentis anni (1767); ad alteram vero ante calendas menſis nouembris eiusdem anni. Serius, qui tradentur commentarii, non quidem auctoribus reddentur, iure tamen praemii priuabuntur. Praeterea omnibus tum peregrinis, cum indigenis conceſſum eſt, de hoc praemio certare, atque cuiuslibet arbitrio permittitur, nomen ſuum vel ipſi commentario apponere, vel in obſignata ſchedula celare, commentarium autem ſententia aliqua notare. Faſciculi vero, qui incluſos contineant commentarios vel epiſtolas, nomine Ill. Comitis DE PURGSTALL, qui Societati huic praeeſt, ſunt inſigniendi, et praeterea haec verba apponenda: *Agricultur ſachen.* Poſterioris quaeſtionis praeſtantia vir quidam commotus eſt, vt, praeter praemium a Societate conſtitutum, ex ſuis opibus aliud, monetam nimirum auream pondere duodecim numorum aureorum, quos Ducatos appellant, promiſerit ei, cui a Societate praemium fuerit tributum.

Commemorari etiam nunc conuenit Regia Societas *Lemovicenſis*, quae ab agricultura nomen gerit, et cuius his Commentariis nondum iniecta eſt mentio, cum nihil ex ea reſciuerimus, quod propius noſtrum attigiſſet inſtitutum. Vel iam ex nomine, quod ipſa

ſibi impoſuit Societas, intelligitur, quod eius ſit conſilium: ſcilicet agriculturam et omnem rem ruſticam emendare, fructuoſiorem adeoque lucroſiorem reddere. Quod vero cum Societas cognouerit, melius exequi non poſſe, quam ſi priuati homines, et quicunque rebus phyſicis vel oeconomicis operam nauant, praemiis inuitarentur ad naturam earum rerum, in quibus verſatur oeconomia, diligentius ſcrutandam, et quicquid vel ſponte ſua, vel captis experimentis vtile fuerit deprehenſum, vulgandum et in publicos vertendum vſus: eo et aliarum Societatum exemplo commota eſt, vt conſilium ceperit, quotannis praemium aliquod conſtituendi ei ſoluendum, qui prae caeteris optime propoſitam rem ſit explicaturus. Primum itaque praemium, quod eſt moneta aurea 300 pondo Gallicarum (*livres*), vel, ſi quis maluerit, eadem copia paratae pecuniae, ſe proximo anno diſtributuram eſſe Societas nuper declarauit. Quod qui promereri cupit, exponere eum oportet methodum deſtillandi vel praeparandi vini ſpiritum fructuoſiſſimam tum quoad quantitatem, cum qualitatem et ſumtuum rationem (*la manière de brûler ou de diſtiller les vins la plus avantageuſe relativement à la quantité et à la qualité de l' eau de vie, et à l' épargne des frais*). Qua de re quum nullus aptius cogitare planiusque exponere poterit, quam qui phyſicis doctrinis chemicisque probe ſit inſtructus, problema hoc et ad noſtros pertinere lectores arbitramur.

Studio autem alteram quaeſtionem ab *Eadem* Societate propoſitam, quod longius a noſtro recedat inſtituto, praeterimus ſilentio, cui praemium ſimile ex ſuis opibus amore patriae et Societatis huius ſingulari ductus promiſit vrbis et circuli Lemovicenſis Praefectus.

Eadem Academia iam anno 1768 ſuum deſignauit problema et declarauit, ſe ſimili praemio eius

optimam

optimam expoſitionem eſſe adfecturam. Eſt illud *hiſtoria curculionis* (Charanſon), *et remediorum, quae grana ab eo tueantur.* Optat vero Societas, vt in deſcriptione inſecti primum hiſtoria indiuidui tradatur, hoc eſt, eius ortus, vita et domicilium in granis, variae metamorphoſes et propagatio; deinde hiſtoria ſpeciei, de ſerie transformationum et generationum inſecti per ſingula anni tempora et plures annos; tandem remedia tutiſſima minusque ſumtuoſa, quae eius propagationem impediunt, et frumenta ab iis praeſeruant.

Omnibus ad haec praemia licet niti, exceptis tantummodo ipſius Societatis membris. Perinde etiam eſt, vtrum commentarii gallica an latina conſcribantur lingua. Iis porro nulli definiti ſunt fines, ſed auctores vti poſſunt tanta prolixitate, quantam rerum proponendarum dignitas argumentorumque pondus exigere videantur. Ipſi denique commentarii itidem non nomine auctoris, ſed numero aliquo vel ſententia ſunt ſignandi; nomen domiciliumque vero ſchedulae alicui committendum ſigillo obſignatae, quae exterius eodem numero vel ſententia notetur, quo ipſe commentarius eſt inſignitus. Mittendi denique ſunt commentarii ad ſummum ciuitatis et circuli Lemouicenſis Praefectum, et priores quidem ante finem huius anni, poſteriores vero ante calendas menſis decembris ſequentis anni.

Petropoli accepimus, Auguſtiſſimam Ruſſorum Imperatricem CATHARINAM II die 6 menſis octobris huius anni Directoris Academiae Scientiarum ibidem florentis muneri praefeciſſe Illuſtrem virum, Comitem WOLODOMIR GRIGORIEWITSCH ORLOW, eumque illud poſtero die, congregata Academia, eſſe auſpicatum.

Relicta Academia, quae Francofurti ad Viadrum floret, nuper ad *Giſſenſem* tranſiit Cl. Vir D. FRID. AUG. CARTHEUSER, IOANNIS FRIDERICI filius, ibidemque munus, quod ipſi eſt demandatum, academicum Profeſſoris medicinae ordinarii et philoſophiae naturalis adiit die 30 menſis ſeptembris huius anni, habita oratione: *de inſigni chemiae uſu in philoſophia naturali.* Occupat vero ſimul locum in ordine medicorum academico, qui nunc tribus conſtat membris. Sunt vero

D. IO. WILH. BAUMER, Medicinae Profeſſor Primar. Eminentiſſ. Elector. Mogunt. a Conſiliis, Seren. Haſſiae Landgr. a Conſiliis rerum metallicarum, Phyſicus Prouincialis Giſſenſis, Acad. El. Mogunt. ſcient. vtil. Aſſeſſor.

D. GEORG. LUDOV. ALEFELD, Med. Prof. Ord. Acad. El. Mogunt. ſc. vtilium Socius ordinarius.

D. FR. AUG. CARTHEUSER, Med. et Phil. natural. Prof. Ord. Acad. El. Mog. ſc. vtil. Socius ordinar.

Goettingae die 8 menſis octobris h. a. Profeſſoris medicinae Extraordinarii munus ſuſcepit D. AUGUSTUS GOTTL. RICHTER, habita oratione *de dignitate chirurgiae cum medicina coniungendae*, et praemiſſo programmate, *in quo variae cataractam extrahendi methodi ſuccincte exponuntur.*

Romae die 20 menſis auguſti 1765 viuere deſiit ANTONIUS BALDANI, Romanus, Canonicus eccleſiae S. Mariae ad martyres, quae vulgo *Rotonda* appellatur, priſcis vero temporibus *Pantheum*. Variorum Pontificum maximorum ab intimis fuit redituum conſiliis. Poſtremo tandem functus eſt munere Secretarii Societatis, cui cura aquarum, paludum

dum et pontium eſt tradita. Huius viri, etſi ſcriptis non inclaruerit, hic tamen meminiſſe noſtrarum eſſe duximus partium, quum conſtet, illum, praeter inſtructiſſimam bibliothecam, muſeum rerum naturalium refertiſſimum collegiſſe atque coluiſſe, cuius honorifica fit mentio in appendice, quam Cl. 10. PLANCUS alteri editioni libri *de conchis minus notis*, 1760 Romae in lucem editi, adiecit. Spes facta eſt, fore, vt eius index propediem vulgetur. Ob ſingulare hoc, quo is flagrabat, hiſtoriae naturalis ſtudium a Regia Societate Londinenſi et ab Academia inſtituti Bononienſis in ſociorum receptus fuerat numerum.

XV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763. prodierunt.

Recueil des Pieces de Medecine et de Phyſique, traduites de l'Italien de Mr. COCCHI et autres Auteurs vivans, a Paris, 12.

Tyrocinium anatomicum: or, an Introduction to Anatomy. By C. COLLIGNON. M. D. Profeſſor of Anatomy at Cambridge. Cambridge. 8. mai.

Lettre de Mr. COLLIN a Mr. DE HAEN au ſujet des maladies avec eruption. a Vienne. 8.

MATTHAEUS COLLIN Diſp. inaug. de miliaribus rectaque his medendi ratione. ibid. 8.

Lettre de Mr. DE LA CONDAMINE a Mr. MATY (*ſur l'inoculation*). a Paris. 8.

10. MART. COPESCH Diſp. inaug. ſiſtens metaſtaſin ad caput cum trepano ſpontaneo. Argent. 4.

Traité pratique ſur la Goutte, et ſur les moyens de guerir cette maladie, par Mr. COSTE. Edit. nouv. a Berlin. 8.

Manuel de la Saignée pour l'inſtruction des Eleves chirurgiens de la Marine, de l'Ecole de Breſt. par Mr. DE COURCELLES, prem. Med. de la Marine a Breſt. Breſt. 12.

IO. NEPOM. CRANZ Stirpium Auſtriacarum faſciculus II. Viennae. 8.

Lettre de Mr. CRANZ a Mr. TISSOT au ſujet de ſa diſpute avec Mr. DE HAEN. a Vienne. 8. (*Eadem epiſtola germanice reddita eodem prodiit anno.* Lipſiae et Berol. 8).

Melanges d'Hiſtoire naturelle par Mr. A. D. (DULAC) Avocat en Parlement et au Cours de Lyon. a Lyon. 8. c. tab. aen. Voll. 2.

Diſſertation ſur ce, qu'il convient de faire, pour diminuer ou ſupprimér le lait des femmes, etc. Ouvrage couronné par la Societé Hollandoiſe des Sciences a Harlem le 21 May 1762. par Mr. DAVID. a Paris. 12.

Recherches ſur la maniere d'agir de la ſaignée et ſur les effets, qu'elle produit relativement a la partie, ou l'on l'a fait *par le même.* ibid. 8.

Le même livre: ſeconde edition, revue et corrigée. ibid. 8.

Ouvrage, touchant les Hernies ou Deſcentes, diviſé en deux Parties; par Mr. DEIAN. Maitre en Chirurgie ibid. 12.

HENR. FRIDER. DELIUS Diſp. inaug. exhibens obſeruationes de ouis muliebribus foecundis et ſterilibus. Reſp. *Guſtav. Guil. Henrici.* Erlangae 4. c. tab. aen.

Eiusd. Diſp. inaug ſiſtens ſpecies laetificantes. Reſp. *Matth. Guil. Pauland.* ib. 4.

Eiusd. Diſp. inaug. continens trigam caſuum medico chirurgicorum. Reſp. *Mich. Neuſtaedter.* ib. 4.

Le Gentilhomme Cultivateur, ou Corps complet d'Agriculture, tiré de l'Anglois de Mr. HALL et

des

des tous les Auteurs, qui ont le mieux ecrit ſur cet Art; par Mr. DUPUY DEMPORTES. Tom. V. VI. VII. a Paris. 4. av. fig. Voll. 3.

Eiusdem libri Tomus IX-XIV. ibid. 12.

Nouvelles Obſervations ſur le ſel purgatif fondant et calmant: par Mr. DESCROSILLES, Apothicaire a Dieppe. a Rouen. 12.

Diſcours ſur les Epidemies d'HIPPOCRATE; par Mr. DESMARS, Medecin penſionnaire de la Ville de Boulogne ſur-mer. a Paris. 12.

GUIDO DANIE' DESPATUREAUX Quaeſt. med. vtrum ad tuendam ſanitatem balnea frigida praeſtent calidis? aff. Reſp. *Joan d' Arcet.* Pariſiis. 4.

Traité des Fievres de l'Isle Saint Domingue, par Mr. POISSONNIER DESPORTIERES. ibid. 8.

G. CHR. DETHARDING, Diſp. de nebularum effectu noxio in corpore humano. Bucephal. 4.

I. I. DILLENII Hiſtoria muſcorum: or a General Hiſtory of Land and Water Moſſes and Corals. London. 4. mai. c. tab. aen.

Teatro Farmaceutico dogmatico e ſpagirico, del. D. GIUSEPPE DONZELLI, *Napolitano*, *Barone Dogliola*, abbelitto e arrichitto di multe Aggiunte in diverſi luoghi fattevi da TOMASO DONZELLI, Medico Fiſico, Figliolo dell' Autore, e regiſtrate dal medico Pratico NICCOLO FERRARA-AULISIO. In queſta nuoviſſima edizione nuovamente accreſciuto di varie coſe non piu ſtampate, e principalmente di un dotto utiliſſimo Trattato delle Droghe del Sign. GIAM. BATTISTA CAPELLO. in Venezia. fol.

IOSEPH. LUD. DORER, Diſp. inaug. de ſaltatione ſanitatem conſervante, morbos inducente, indicante, curante. Argent. 4.

FRID. GUIL. DRESDE, de daemonibus morbisque daemoniacis medica tollendis. Lipſiae. 4.

Traité de Phyſiologie, dans lequel, apres avoir etabli des theſes ſur le Mechaniſme de nos fonctions, on donne une Explication courte des phenomenes du corps humain, par I. F. DUFIEU, D. M. Tome I. II. a Lyon. 12. Voll. 2.

IO. PETR. EBERHARD, Diſp. inaug. de aeris actione in chylum. Reſp. *Frid. Sohrbeck*, Halae. 4.

Deſcription et Hiſtoire naturelle de Groenland, par Mr. EGEDE, par Mr. DES ROCHES DE PARTHENAY, a Geneve, 8. av. fig.

Herrn HANNS EGEDE, *Miſſionairs und Biſchofs in Grönland, Beſchreibung und Naturgeſchichte von Grönland, überſezt von* D. IOH. GE. KRUNITZ, *Berlin*, 8. *m. K.*

PROIECT. IOSEPH. EHRHART, Diſp. inaug. de cicuta. Argent. 4. c tab. aen.

IO. FRID. EHRMANN, Diſp. inaug. de morbo catarrhali benigno hoc anno inter nos epidemio, ibid. 4.

IOH. GOTTL. VON ECKHARDTS *vollſtändige Experimental Oeconomie, über das vegetabiliſche, animaliſche und mineraliſche Reich. Zweyte verbeſſerte Aufl. Iena*, 4.

CAROL. ECKMAR, Diſp. exhibens hydrocephalum internum annorum 45. Vpſal. 4.

D. IOH. THEODOR ELLERS *vollſtändige Chirurgie, oder gründliche Anweiſung alle und jede äuſſerliche Krankheiten des menſchlichen-Körpers zu heilen. Berlin*, 8.

ARTHUR CONRAD ERNSTINGS *hiſtoriſche und phyſicaliſche Beſchreibung der Geſchlechte der Pflanzen, welcher Hr.* LINNAEUS *ſyſtematiſches Verzeichniß von den Geſchlechtern der Pflanzen beygefügt worden, 2ter Theil, Lemgo*, 4.

Traité

Traité ſur les cauſſes et ſymptomes de la pierre et de la gravelle, ſur les methodes, qu'on met en uſage, pour les guerir, ou il eſt prouvé clairement, qu'il n'y a, que la preparation de Mſlle STEPHENS, qui puiſſe reuſſir dans cette maladie, qu'elle eſt tres ſalutaire, et que de plus elle eſt fort facile a prendre, ce qui a eté inconteſtablement confirmé depuis peu dans la Gueriſon d'une des plus grandes Princeſſes de France: par Mr. D'ESCHERNY, D. en Med. et Membre du College Roy de Medecins, a Londres.

Herrn DES ESSARZ, *der Arzneyg. D. zu Paris, Abhandlung von der Erziehung der Kinder, in Anſehung ihres Körpers in den erſten Jahren, oder practiſche Gedanken über die Mittel, Bürger von einer beſſern Leibesbeſchaffenheit darzuſtellen. Berlin*, 8. (Germanice reddidit hunc librum *D.* IOH. GE. KRUNITZ).

PHIL. CONR. FABRICII Enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis, Edit. 2. auctior. Helmſtadii. 8.

Eiusd. Diſp. inaug. de motibus conuulſiuis. Reſp. *Chriſtophor. Henr. Schobelt.* ibid. 4.

Catalogue de la Bibliotheque de feu Mr. FALCONET, Doyen des Medecins de la Faculté de Paris. T. I. II. a Paris, 8. Voll. 2. (*Praefaminis loco vitae deſcriptio trium medicorum eiusdem nominis, nimirum aui,* ANDREAE, *patris,* NOELIS, *et filii* CAMILLI, *auctoris huius bibliothecae, praemittitur*).

10. FRIDER. FASELIUS Disp. inaug. de arteriis non ſanguiferis. Reſp. *Chriſtoph. Frider. Car. Cappe*, Ienae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de anxietate, ſpeciatim febrili. Reſp. *Io. Chriſt. Heſſler*, ibid. 4.

IO. FRIDER. FASELIUS, Progr. de cauſſis flexilitatis partium ſolidarum corporis humani, len. 4.

Eiusd. Progr. de corpuſculis ARANTII, ibid. 4.

Eiusd. Progr. de egregio vſu clyſterum in anxietatum curatione, ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de oleo vini atque ſale ſedatiuo HOMBERGII. Reſp. *Thom. Reindel,* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de ſaccis Lowerianis, ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de ſaponibus quibusdam mineralibus. Reſp. *Wilh. Henr. Sebaſt. Buchholz,* ib. 4.

Eiusd. Progr. I. de vaſis corporis animalis aereis, ibid. 4.

Eiusd. Progr. de vero adipis ad baſin cordis circumfuſi vſu, ibid. 4.

Gebrauch der Berg und Wünſchelruthe, was und wie vielerley Art ſie ſey? von Feudiviro (*oder* LEHMANN), *Leipzig,* 8.

Gutherzige Schreiben an ſeine achtbare liebe Landsleute, die wegen ihres unermüdeten Fleißes, außerordentlichen Treue gegen ihre hohe Landesobrigkeit, auch wegen ihres guten Umgangs und Betragens ſo gar von Auswärtigen hochgeſchäzte Bauern in Sachſen, den Ackerbau und die Viehzucht zu des theuerſten Churfürſt AUGUSTI *Zeiten in Sachſen betreffend, von H. A. F.* (Heinrich Auguſt Fiſcher), *Chemnitz,* 8.

Adheſions or Accretions of the Lungs to the Pleura, and their Effects on reſpiration, conſidered by MALCOLM FLEMING. Edit. 2. London. 8.

Diſſertation ſommaire ſur les Maladies de l'Uretre, appellées calloſités, ou vulgairement carnoſités, et du moyen ſûr de les guerir radicalement ſans l'uſage de Bougies; par le Sieur DE LA FONT, Fils, Maitre en Chirurgie, et Chirurgien breveté du Roy pour l'adminiſtration de ce remede, a Paris, 12.

Opuſcula

Opuſcula phyſiologico pathologica, diſſertationes tres exhibentia, 1) de affectionibus infantiae ac pueritiae, 2) de affectionibus ſenectutis, 3) de viſionis ſenſorio; Auctore ANTONIO FRACASSINI. Veronae, 4.

GEORG. ADOLPH. FRANK, Disp. inaug. ſiſtens caſum nephritidis calculoſae tabe renis lethali exceptae. Argent. 4. c tab. aen.

Fortſetzung einer kurzen Nachricht zu der zwölften von den zwölf Claßen aller Vögel und ihren vier Abtheilungen, ſo diejenigen enthält welche gröſtentheils ihre Nahrung am Waſſer finden. Berlin, fol. (Toti huic ſplendido operi, quod 1736 inceptum, nunc demum abſolutum eſt, communis hic index praemiſſus eſt: *Vorſtellung der Vögel Deutſchlands und beyläufig auch einiger fremden; nach ihren Eigenſchaften beſchrieben von* IOH. LEONHARD FRISCH, *Rector des Gymnaſii zum grauen Kloſter in Berlin etc. in Kupfer gebracht, und nach ihren natürlichen Farben dargeſtellt von* FERDIN. HELFR. FRISCH, *Berlin, fol. mit 256 Kupfern.*)

PETR. ADR. GADD Upmuntran och Underrättelſe til nyttiga plantagerers widtagande i Finland. P. Ima. Abo. 4.

Eiusd. Disp. de transmutatione aquae in terram. Reſp. *Sam Heurlin*, ibid. 4.

Eiusd. Beſkrifning öfver Bergquara Gods i Smaland. Reſp. *Ioh. Lindwall*, ibid. 4.

Eiusd. Inuenta quaedam chemica recentiora. Reſp. *Iob. Gråå*, ibid. 4.

Eiusd. Disp. de fatis ſcientiae chemicae ſub epocha Patrum. Reſp. *Io. Erling.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. Remorae incrementorum ſcientiae chemicae. Reſp. *Car. Avellan.* ibid. 4.

SAM.

SAM. GARLAND, Disp. inaug. de medicamentis adſtringentibus. Edinburgi, 8.

IO. IAC. GASSER, Disp. inaug. de viribus naturae humanae actuoſis, Lugd. Bat. 4.

Lettre de Mr. GATTI, a Mr. ROUX, a Paris, 12.

Inſtitutiones pathologiae medicinalis, auctore HIER. DAV. GAUBIO. Edit. altera, Leid. Batav. 8. mai.

Eiusd. Serm. Acad. alter, de regimine mentis, quod medicorum eſt. ib. 4.

IO. HENR. GAUDELIUS, Disp. inaug. de hydrocephalo, Goetting. 4.

IO. CAR. GEHLER, Progr. de vſu macerationis ſeminum in plantarum vegetatione, Lipſ. 4.

Pinaeani manes, ſiue dilucidationes vberiores circa ſigna virginitatis atque perſpicua hymenis illibati teſtimonia, obſeruationibus et notis haud vulgaribus adornati. Roſtoch. 4. (*Auctore, vt ex dedicatione apparet,* CAR. GODOFR. GELLER, M. D).

Eiusd. Scrutinium phyſico-medicum de tuſſi epidemica infantum conuulſiua, anno 1757 in ducatu Megapolitano furente, raris plane et ſingularibus obſeruata ſymptomatibus. ibid. 4.

Fortſetzung der Abhandlung von der Materia medica, des Herrn STEPH. FRANZ GEOFFROY. *Fünfter Theil, von den innländiſchen Pflanzen. Sechſter Theil, von den Thieren, aus dem franzöſiſchen überſezt, Leipz. 8. Voll. 2.*

Triga diſſertationum phyſico-medicarum, auctore D. CARL. ABR. GERHARD. Berolini, 8.

Eiusd. *Die Bärentraube chymiſch-mediciniſch entworfen,* ibid. 8.

IO. GESNER, Disp. Phytographiae ſacrae generalis Pars practica tertia, Turici, 4.

Das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen, nach den Beobachtungen und Zeichnungen des Hrn. geheimen Raths, Freyherrn VON GLEICHEN *erſte Ausgabe mit*

mit 11 *illuminirten Kupfern*, 2*te Ausgabe*, *mit* 8 *illuminirten Kupfern*, *Nürnberg*, *fol.*

PHIL. FRID. GMELIN, Disp. inaug. de probato tutoque vſu interno vitrioli ferri factitii, aduerſus haemorrhagias ſpontaneas largiores. Reſp. *Car. de Olnhauſen*, Tubingae, 4.

Eiusd. Disp. inaug. de analepticis quibusdam nobilioribus e cinnamomo, aniſo ſtellato et aſa foetida. Reſp. *Sam. Gottl. Gmelin.* ibid. 4.

Eiusd. Disp. inaug. de cholelithis humanis. Reſp. *Frid. Lud. Hochſtetter*, ibid. 4.

VRSUS VICTOR GOBENSTEIN, Disp. de lue venerea, Monspelii, 4.

FRID. GEBH. THEOD. GOENNER, Disp. inaug. de ſanguinis mutata diſtributione ex aetatum viciſſitudine, Halae, 4.

FRANC. IOS. BALTH. GOERING, Disp. inaug. de hymene. Argent. 4. c. tab. aen.

SAWAS GORGOLIUS, Disp. inaug. exhibens generalem recidiuarum pathologico-practicam conſiderationem, Halae, 4.

Oeuvres de Chirurgie par M. GOULARD. a Paris, 12.

IO. DAN. GRAU, Diſp. ſiſtens vis vitalis ſpecimen primum. Reſp. *Io. Ludolf. Franck.* Goetting. 4.

Eiusd. *Abhandlung von Wundmitteln*, *Lemgo*, 8.

Eiusd. *Heterodoxe Sätze aus der Arzneygelahrheit* 1. *Stück*, *Frankf. und Leipz.* 8.

Zoophylacii Gronouiani Faſciculus primus, exhibens animalia quadrupeda, amphibia, atque piſces, quae in muſeo ſuo adſeruat, rite examinauit, ſyſtematice diſpoſuit, deſcripſit atque iconibus illuſtrauit LAURENT. THEOD. GRONOVIUS, Lugd. Bat. fol. c. tab. aen.

ANTON DE HAEN, *Abhandlung von Fiebern. Kopenhagen*, 8.

Lettre de Mr. DE HAEN a un de ſes amis au ſujet de la lettre de Mr. TISSOT, a Vienne, 8.

Eiusd. Diſp. med. ſiſtens examen tritiſſimi prouerbii: medicina turpis disciplina. Edit. 2. ibid. 8.

Eiusd Pars octaua rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA. ibid. 8.

Eiusd. Libri Pars V. Edit. 2. ib. 8.

Elementa phyſiologiae corporis humani. Auctore ALB. V. HALLER. Tomus V. Senſus externi, interni. Lauſannae, 4.

GEORG. ERHARD. HAMBERGERI methodus medendi morbis, edidit ac ſimul de praeſtantia theoriae HAMBERGERI prae ceteris praefatus eſt ERNEST. GODOFR. BALDINGER. Ien. 8.

Herrn DU HAMEL DU MONCEAU *Abhandlung von Bäumen, Stauden und Sträuchern, welche in Frankreich in freyer Luft wachſen; überſezt und mit Anmerkungen verſehn von* CARL CHRIST. OELHAFEN *von Schellenberg. 2ter Theil Nürnb, 4. m. K.*

L'Art du Tuilier et du Briquetier par Mr. DU HAMEL, FOURCROI et GALLON. a Paris, fol. avec fig.

IOH. IAC. HARTMANNS *gründliche Anweiſung zu einem Obſt oder Baum-auch Küchengarten. 4 Theile. Erfurt*, 8.

PETR. IMM. HARTMANN Disp. inaug. ſiſtens obſeruationes ad cicutae, mercurii ſublimati et phosphori vſum internum pertinentes. Reſp. *Georg. Henr. Hudemann.* Helmſtad. 4.

Hiſtoria medica trium morborum, qui anno 1760 frequentiſſime in noſocomio occurrebant. Cui adiecta eſt notabilium obſeruationum anatom. decas. Auctore I. GEORG. HASENOEHRL. Noua Edit. Viennae, 8.

LAUR.

LAUR. HEISTERI compendium medicinae practicae. Venet. 8.

Eiusd. *Practiſches mediciniſches Handbuch, oder kurzer, doch gründlicher Unterricht, wie man die innerlichen Krankheiten am beſten curiren ſoll, nebſt einer Abhandlung von der Vortreflichkeit der mechaniſchen Arzneylehre. Neue verbeſſerte Auflage. Leipzig*, 8.

IOACH. FRIDR. HENKELS *achte Sammlung ſeiner mediciniſchen und chirurgiſchen Anmerkungen, mit Kupfern. Berlin*, 4.

Herrn CHRIST. WILH. VON HEPPE *einheimiſch und ausländiſch wohlredender Iäger, nebſt nüzlichen und luſtigen Anmerkungen. Regensburg.* 8. mai.

IOAN. GOTTHELF HERRMANN commentatio epiſt. de olerum vernalium praeſtantia. Lipſ. 4.

ANSELM. FRANCISC. HEUSCHEN, Disp. inaug. ſiſtens obſeruationes quasdam de variis et miris ſymptomatibus ex nimia ſyſtematis neruoſi mobilitate oriundis. Vindobonae, 4.

The Vegetable Syſtem: or the Internal Structure, and the Life of Plants, their Parts and Nouriſhment explained; their Claſſes, Ordres, Genera and Species, aſcertained and deſcribed; in a method altogether new. Comprehending an Artificial Index, and a Natural Syſtem. With Figures of all the Plants, deſigned and engraved by the Author. The whole from nature only; by IOHN HILL. Vol. V. containing the entire Claſs of Aggregate or Cluſter-headed Plants. With Obſervations on a natural method, ſo far as il regards the Connection of the Claſſes; on the Production and Propagation of Muliſh or Intermediate Plants; and on certain Plants, which are commun to England and America. London. fol. mai.

D. L. E. HIRSCHELS *Betrachtung, ob die Wirkung des Mercurii ſublimati corroſiui in den veneriſchen*

Krankheiten innerlich gegeben, gegründet ſey? nebſt einer Erwehnung der Cicuta. Berlin, 8.

HOADLY *und* WILSONS *Mitglieder der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften in Londen, Betrachtungen über eine Reihe electriſcher Verſuche, nach der zweyten von Hrn.* WILSON *verbeſſerten und vermehrten Ausgabe aus dem engliſch. überſezt. Leipz.* 8.

IO. CASP. HOERMANN, Disp. inaug. de arteriarum flexuoſo progreſſu. Lipſ. 4.

FRID. HOFFMANNI Opera omnia, pridem in XII tomos diſtributa, nunc vero XIII aliis ſupplementorum voluminibus adaucta. Tom. 25. Neapoli. 4.

FRANZ HOMES *Grundſätze des Ackerbaues und des Wachsthums der Pflanzen, aus dem engl. überſezt und mit Anmerkungen begleitet von* IOH. CHRIST. WOELLNER. *in Halberſtadt,* 8.

IO. IAC. HUBERI Inuitatio ad ſcholas ſuas, cui apponit animaduerſiones nonnullas anatomicas. Caſſellis, 4.

NICOL. IOSEPHI IACQUIN Selectarum ſtirpium Americanarum hiſtoria, in qua ad Linnaeanum ſyſtema determinatae deſcriptaeque ſiſtuntur plantae illae, quas in inſulis Martinica, Jamaica, Domingo, aliisque et in vicina continentis parte, obſeruauit rariores; adiectis iconibus in ſolo natali delineatis. Vindobonae, fol.

GUIL. IASOLINO di rimedi naturali, che ſono nell Iſola di Tithecuſa, oggi detta Iſchia, con molte eſperienze ed iſtorie. Napoli, 4.

Conſultations de Medecins et autres Pieçes publiées par Mr. JOLY, pour ſervir de reponſe a un ecrit, inprimé de Mr. COSTE. a Geneve, 12.

FRID. CHRIST. IUNCKER, Disp. inaug. cordis morbos proprios in tabula exhibens. Reſp. *Geo. Chriſt. Böckmann.* Halae, 4.

FRID.

